UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# Universitätsbibliothek Paderborn

## Homiliæ Qvadragesimales Reverendissimi D.ni P. F. Hieronymi Baptistæ De Lanvza Venerabilis memoriæ Episcopi Barbastrensis & Albarrazini, Ord. FF. Prædicatorum

Ex Hispanico idiomate in latinum perfectè fideliterq[ue] iuxta posteriorem omnium, nouamq[ue] editionem translatæ, & ab innumeris cùm S. Scripturæ, tùm SS. Patrum typographicis erroribus emendatæ ... cum triplici Indice ...

**Lanuza, Jerónimo Bautista de**

**Antverpiæ, 1649**

Secundo die Veneris Quadragesimæ. Holia Decima. De Paralytico apud piscinam. Erat dies festus Iudaorum & ascendit Iesus Hierosolymam. Est autem Hierosolymis probatica piscina, &c. Ioannis 5.

urn:nbn:de:hbz:466:1-53012

Visual Library

O myſterium. Mulier hæc tantæ fidei meritô
" voluntatis Dei conſequitur poteſtatem. Vos ap-
" pello viros, qui magnæ fidei viros vos eſſe glo-
riamini, vos mulier hæc confundit Chananæa.
Vos adiuro Chriſtiadas, qui titulo ſuperbitis Chriſtianiſmi, vos mulier pudore ſuffundit infidelis: ex illa diſcite quomodo eius imbuti magiſterio, cum Deo negociemini, cuius fauore gratiæ, perennem gloriæ in cœlo ſtatum obtineatis, Amen.

# SVMMARIVM
## HOMILIÆ DECIMÆ SEQVENTIS.

MEMORAT Euangelium, quoddam Chriſti miraculum cæteris celebrius factum Hieroſolymis, quo diuinitatis ſuæ maieſtas prodebatur. Ad hoc autem ſtatuit Hieroſolymis templum, illique vicinam piſcinam *a*. Ac præſenti miraculo feſtum elegit Paſchatis, quò plures confluerent teſtes *b*. Piſcinam erexit circa templum plurimis de cauſis *c*. In illa veræ pœnitentiæ inſinuans ſymbolum, in eo quod eſſet Hieroſolymis *d*. Et quòd ſalutem impertiret commotis per Angelum aquis, diligentiori *e*. Abbreuiata erat eiuſdem efficacia, *f*. Nec potuit in ea curari paralyticus: non enim peccatum, infirmitatis radicem auferebat *g*. Iniecit in illum Chriſtus oculos ſuos: cuius enim vult miſeretur *h*. Cuius rogat voluntatem, quò oſtendat, tuam ad tuæ animæ ſalutem, requiri voluntatem *i*. Remedium non inuenit paralyticus, illud ab hominibus exſpectans *k*. Tibi quoque decrit: non enim ſunt homines *l*. Eum Chriſtus ſanitati reſtituit, in ſuæ potentiæ declaratiuum, ipſius probaticæ viribus longè ſuperioris *m*. Tria hæc præſcribens: *Surge, tolle lectum tuum & ambula*: ex quibus tuum pendet remedium *n*. Quem grauiter hortatur, ne deinceps reincidat in peccatum *o*.

*a* §.1.2.
*b* §.3.
*c* §.4.
*d* §.5.
*e* §.6.
*f* §.7.
*g* §.8.9.10.
*h* §.11.
*i* §.12.13.
*k* §.14.
*l* §.15.
*m* §.16.
*n* §.17.
*o* §.18.19.

§. 1. *Erexit Dominus Hieroſolymam, vt in ea ſeipſum manifeſtum redderet vbi & probaticam ſtatuit, in templi ſubſidium, vt Abiſ g quæ Danidem foueret.*

§. 2 *Probatur Chriſtus probaticâ ſuperior, vt olim ipſis cœlis.*

§. 3 Erat dies feſtus Iudæorum. *Operatur Chriſtus hoc miraculum in feſto celebriori, quo plures habeat teſtes.*

§. 4. Eſt Hieroſolymis probatica piſcina. *Nullibi commodius piſcina quàm circa templum, & pauperes ad eius valuas, in noſtrum beneficium.*

§. 5. Multitudo languentium. *Piſcina ſymbolum eſt pœnitentiæ, & tria genera infirmorum, tria ſunt genera peccatorum.*

§. 6. Qui prior &c. *Diligenter accurrendum, vt Dauid, quando Angeli mouebant piſtrorum cacumina.*

§. 7. Sanabatur vnus. *Anguſtum remedium, ſaluti corporis non prouidet ſicut animalibus.*

§. 8. Erat homo &c. *Corpus non ſanabatur, ſi cui erat anima infirma; nec mare ſedabatur, Iona naui non eiecto.*

§. 9. *D. Ephrem oſtendit Deus, quòd labores immittit ob peccata vel oblita vel non notata ſicut huic.*

§. 10. Triginta & octo annos. *Ad triginta & octo annorum paralyſim, leuiora ſufficiunt delicta.*

§. 11. Hunc cum vidiſſet. *Pauperculum vidit: hoc enim ei proprium eſt, & miſereri, quaratione & cuius vult.*

§. 12. Vis ſanus fieri. *Si tu nolueris, non te ſanabit Deus, qui dicitur ludere cum hominibus.*

§. 13. *Non ſanaris: quia non vis abſoluta voluntate,*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*tate, vt mulier prægnans, de qua Ezechias.*

§. 14. Hominem non habeo. *Qui confidit in homine, non ſanatur: pauperem enim fugit, vt aues, & animalia ex arbore deuolant concidente.*

§. 15. *Magnus hominum defectus, multos vocat Deus mulieres, & de hoc conqueritur Amos, & admiratur Hieremias.*

§. 16. Surge, tolle, *&c. Hic Chriſti elucet poteſtas, & quem ille curat, ſecurus eſt, quando eris & tu talis?*

§. 17. *Sanat Chriſtus hunc paralyticum illo verbo:* Surge, tolle &c. *Idem quoque tibi præcipit in tuam ſalutem.*

§. 18. Noli amplius &c. *Caue peccati recidiuam, ne tibi quid peius contingat, vt Ozæ, & illis, de quibus loquuntur D. Bonauentura; & D. Gregorius.*

§. 9. Ne deterius &c. *Aptè declarat Hieremias deterius illis aliquid contingere, qui ad peccata ſemel à Deo remiſſa, reuertuntur.*

# HOMILIA X.

## DE PARALYTICO APVD PISCINAM.

Secundo die Veneris Quadrageſimæ.

*Erat dies feſtus Iudæorum & aſcendit Ieſus Hieroſolymam. Eſt autem Hieroſolymis probatica piſcina* &c. Ioan 5.

¶. 1 PRIMAM hodie audimus lectionem, quam ex Euangeliſta Ioanne nobis in Quadrageſima proponit Eccleſia, proinde nobis erit neceſſarium oculos reſerare (monente D. Auguſtin.) Notum enim cunctis liquet D. Ioannem inter Euangeliſtas aquilæ comparari. Præcipuum autem, quòd auis hæc prætendit auium Regina, hoc eſſe credimus, vt pulli ſolem acie intueantur irreuerberata. Ad hoc verò illos clariſſimis ſolis exponit radiis: huius autem aquilæ cœleſtis ea fuit mens, vt oculos in veram Chriſti coniiciamus diuinitatem, & perſonæ ſuæ diuinam eſſentiam contemplemur. Notat D. Epiphan. *a* D. Hieronym. *b* & ſingulariter. D. Baſil. *c* D. Ioannem hoc ſuum Euangelium conſcripſiſſe, poſt alios Euangeliſtas contra Ebionem, Cerinthum, alioſque hæreticos, Chriſti negantes diuinitatem: quod exorſus eſt, quaſi baſim & lapidem fundamentalem ponens diuinam enarrans eſſentiam. Vt eam verò contemplemur, luciſſimis nos illius exponit radiis, oculis noſtris miracula obiicit præclariora. *Hæc autem ſcripta ſunt, vt credatis, quia Ieſus eſt Chriſtus filius Dei* &c. Horum vnum hodie memorat, quô ſolô ſuò verbô curauit infirmum tam obdurata paralyſi debilitatum, vt iam triginta & octo annis decubuiſſet membrorum impotens, quem celebris illa piſcina curare nequiuerat Hieroſolymitana: quæ licet totius orbis maximum portentum, virtutem tamen vni ſoli curando habebat limitatam, & accedente paralytico, ſi eum alij præueniſſent, virtus eius exhauſta langueſcebat. Vbi deficit virtus creaturarum, adeſt eius potentia, qui cunctis ſuperemipet creaturis eaque tanto, vt ſolo ſuo præcepto, tantam largiatur ſalutem vt velut ceruus exſiliat paralyticus, ſuoque lecto grauidus obambulet ciuitatem, cunctis, & inſpicentibus, & ad tanti miraculi ſtupentibus nouitatem. Radius fuit hic adeo fulgidus, vt huius occaſione Chriſtus ſubtiliſſimam inſtituerit concionem, qua, ſi vnquam clariſſimæ ſuæ expoſuit diuinitatis eſſentiam. Fuit autem huius tanta lux, vt veſpertiliones illi, noctuæ, ac bubônes, ex eo tempore cœperint obcæcari, & aperto illum Marte proſequi; & quod hic actum narramus, toto illos vitæ tempore commouit, vt eum ad mortem vſque inſectarentur. *Quia Patrem ſuum dicebat Deum, æqualem ſe faciens Deo.* His radiis ſplendidiſſimis, quibus illi obtenebrabantur, Ioan. 5. 18

Tract. 36. in Ioannem.

a Hæreſ. 51.

b Lib. de ſcriptor. Eccleſ.

c Lib. contra Eunomium.

Ioan. 20. 30.

nos exponit D. Ioannes Euangeliſta. Vtinam his illuminemur, & ſolem hunc diuinum acie colluſtrata contemplemur, quod futurum non dubito, modò noſtros oculos diuinæ gratiæ con ſolidet fortitudo: eam mediatrice cœleſti D. Virgine poſtulemus. *Aue Maria.*

### §. 1. *Erexit Dominus Hieroſolymam, vt in ea ſeipſum manifeſtum redderet, vbi & probaticam ſtatuit, in templi ſubſidium, vt Abiſag quæ Dauidem foueret.*

2 *In Pſ. 40.* OPinio fuit D. Chryſoſt. hodiernum Chriſti Domini miraculum, opus eſſe tantâ ſtupendum ſubſtantiâ, tantâ præcellens dignitate, vt illud iam ab annis bis mille Propheta regius diſtinctè deſcripſerit, & apertè reuelauerit, vt opus, quod inter cætera Chriſti miracula ſingulari quodam modo præminet: facile vero eſt intellectu, hunc excelſum debere eſſe montem, qui reliquis interiaceos, eminet altiùs, & à mille leucis clariùs percipitur, eoſque oculos laudari perſpicaces, qui eum à tanto diſcernunt interuallo. Tales miramur, animæ oculos Regis Dauid, ſuperna luce fulgidos, qui tanto ſæculorum interuallo grauiſſima & altiſſima Chriſti detexit myſteria, ipſo quoque teſtimonium de ſeipſo perhibente, quòd tanta Deus mentem eius luce perfudit cœleſti, vt ea contemplans præuideret intellectu tam claro, vt eſſet inſtar lucidiſſimæ auroræ, *Si-*
*2. Reg. 23. 2.* *cut aurora mane ſine nubibus rutilat.* Vt ei dicere licuerit: *Incerta & occulta ſapientiæ tuæ manifeſtaſti mihi.* Dei Sapientia Chriſtus eſt teſte D. Paulo. Quidquid Chriſtum tangebat, Deus
*Pſal. 50. 8.* Dauidi manifeſtabat: *Manifeſtaſti mihi.* Itaque qui particulari circumſtantia de Chriſto ſcripſit, Dauid celebratur, & idcirco Chriſtum nominatim Pſalmorum eius fecit mentionem, dum ait:
*Luc. 24. 44.* *Neceſſe eſt impleri omnia, quæ ſcripta ſunt in lege Moyſi & Prophetis & Pſalmis de me.*

Inter ea opera, quæ de Chriſto cecinit, hodiernum fuit ſingulare, ratione cuius (ſic intelligit D. Chryſoſt.) compoſuit pſalmum qua-
*Pſa. 40. 1.* drageſimum: *Beatus, qui intelligit ſuper egenum & pauperem.* Atque, quòd ille, de quo loquitur Dauid, Chriſtus ſit, quem beatum prædicat: talis enim ab inſtanti conceptionis ſuæ creditur, qui pietatis ſuæ oculos coniecit ſuper egenum & infirmum, qualis iacebat hic paralyticus; qui hominem, qui ſibi compateretur, non habebat; quocirca tractatum, dignum ſuo cerebro conſcripſit elegantem. Nos autem pſalmum quadrageſimum ſeptimum expendamus, in quo, quantum coniicio, admirabili quodam ingenio, & eloquentia diuinus ille Pſaltes decantat id quod cœleſtis illa Aquila hodierno nobis exponit Euangelio. *Magnum Dominus & lauda-* *Pſa. 47. 1.*
*bilis nimis in ciuitate Dei noſtri, in monte ſancto eius: fundatur exultatione vniuerſæ terræ mons Sion, ciuitas Regis magni.* Magnus Dominus, & omni laudum præconio digniſſimus, ad hunc finem ciuitatem extruxit intentione ſingulari, vt in ea ipſe magnificaretur, coleretur, laudaretur. Fuit autem Hieruſalem fundata in monte Sion, quam idcirco Dominus fundauit, vt in eo gloriæ ſuæ erigeret thronum, & ſedem collocaret Maieſtatis, templum ſuum ſcilicet, propitiatorium, arcam, altaria, vt in his, ſacrificiis, oblationibus, orationibus, ac canticis coleretur. Sed particulariter vt in vrbe illa, venturus in mundum noſtra circumamictus carne cognoſceretur: *Deus in domibus eius cognoſcetur, cum ſuſcipiet eam.* Venturus erat humanitatis noſtræ pallio abſconditus: attamen ſuam manifeſtaturus diuinitatem; ad cuius manifeſtationem hanc condere voluit ciuitatem.

Obſtupeſce, quanto præuio tempore Deus ſibi agenda propoſuerit, hæc enim præmeditatur, condens ciuitatem tam celebrem, tam magnificam tam illuſtrem, tam opulentam. Si namque Deus dum primum ac terrenum Adam creare voluit in mundo, primum ei præparauerit paradiſum (inquit D. Chryſoſt.) *vt operaretur* *Gen. 2. 9.* 3
*& cuſtodiret illum:* Suadebat æquitas, vt Adamo ſecundo talis præſtrueretur ciuitas, in qua mirabilia opera ſua hic operaretur. Tales Deus vrbes non condit, niſi prudenter præmeditatus. Romam particulariter talem condidit, tot modis tot numeris eminentem, vt in ea perpetuam figeret ſedem Vicario ſuo in terris Pontificalem. In hunc igitur finem deſignauit Hieruſalem, vt in ea præclariora ſua miracula patraret, quæ in ordine ad noſtram ederet Redemptionem, ac diuinam ſuam perſonam, in mundum veniens manifeſtaret. *Deus in domibus eius cognoſcetur.* Hæc luce clariùs patet veritas: recens etenim natus hoc in templo, annoſo, probato, coronato ſe manifeſtarit Simeoni, Annæ Propheti ſſæ aliiſque quàm plurimis. Ibi duodennis ſeſe Doctoribus, medius ſedens inter illos interrogans illos, ac reſpondens manifeſtauit. Ibi manum mirabilioribus ſuis appoſuit operibus, quæ toto ſpectante populo per-

petrauit

petrauit; quorum primum fuit mercatorum, columbaſque vendentium eiectio: ac poſtea ibidem ipſe tot tantaque edidit obſtupenda, vt eorum magnitudine conuictus accurrerit Nicode-
Ioan 3.2. mus, proteſtatus: *Rabbi, ſcimus quia à Deo veniſti Magiſter: nemo enim poteſt hæc ſigna facere, quæ tu facis, niſi fuerit Deus cum eo.* Ibi mirabilia eius videas, ibi conciones audias cœleſtes, dum viuit, ibi prodigia eius obſtupeſcas die Palmarum dum properat ad paſſionem, vt dicere potue-
Ioan.18. 20. rit: *Ego ſemper docui in Synagoga, & in templo, quò omnes Iudæi conueniunt.* Ibi viſæ ſunt vltimæ eius moriente eo prærogatiuæ; dum velum templi ſciſſum eſt medium à ſummo vſque deorſum &c.

Vtitur autem Dauid ſubtili phraſi, dum ait: *Deus in domibus eius cognoſcetur.* Vocat templum in plurali, domus, Hebraica phraſi: quando enim quid magnum ſignificatur, licet res ſit in ſe ſingularis, illam indicat numero plurali, ſicut peccatum originale, cum ſit vnicum, vocat
Pſ.50.7. tamen non peccatum, ſed peccata. *In peccatis concepit me mater mea.* In textu Hebraico vbi noſtra vulgata lectio habet: *In domibus*, ponitur verbum ſignificans fortes. Quocirca alij legunt: *Deus in fortibus eius cognoſcetur*: q.d. Licet in illa non eſſet ciuitate manifeſtandus, particulariter tamen in illis domibus fortibus cognoſceretur: quibus verbis, meo iudicio, ad literam inſinuare voluit hanc piſcinam: idcirco enim credo, quòd D. Ioannes ſingulari conſilio illi nomen adſcripſerit, quo vocabatur: *Bethſaida*, id eſt: *Domus effuſionis*: domus in quam defluebant, & effundebantur aquæ, quæ de templi tectis decidebant. Familiare eſt Hebræis omnia receptacula vocare domos, ſicut ciſtas eburneas, quibus veſtimenta condebantur precioſa, domus vocabant: *A domibus eburneis.* Alij dicunt, quod *Bethſaida* ſignificet *domus miſericordiæ*, quam Deus in illa faciebat, miraculo ſa-
1. Quid ſignificet Bethſaida. lutem impertiens languentibus. Domus erat adeo fortis, vt virtute vigeret, mouente Angelo aquas, ſanandi omnes infirmitates, paralyſes, cœcitates, febres &c. *A quacumque infirmitate.* Singulari porro ſtudio eam vocat Dauid, fortem domum ciuitatis. *In fortibus eius.* Admirabilis Sacramenti gratia: & quod illud? quòd Deus hanc ſtatuit piſcinam vt forte quoddam ſubſidium & baſim ſuſtentando templo ac ciuitati.

Prou 9.1. Loquitur Salomon: *Sapientia ædificauit ſibi domum, excidit columnas ſeptem.* Doctrina
Lib. contra hæc eſt D. Auguſtin. quòd veram fidem vera ſemper miracula comitentur, quæ illam & con- *ep fund.*
firment, & ſuſtentent. Cum enim ſit fides re- *Manich.*
rum ſupernaturalium, ratione non poteſt naturali comprehendi, ſupernaturalibus igitur ſtabilienda eſt rationibus, ac argumentis, nimirum miraculis. Pro huius rei hieroglyphico præcepit Deus Moyſi, vt ad latus arcæ, in qua duæ tabulæ legis ſeruabantur: virgam collocaret, tantorum mirabilium operatricem; vt memorat D. Paulus quæ ſemper in Eccleſia inſeparabi- *Hebr. 9. 4.*
liter & reperta ſunt, & reperiuntur. Proinde Chriſtus diſcipulos ſuos in Euangelij mittens prædicationem, pariter illis & virgam tradidit, poteſtatem inquam miracula perpetrandi. *Prædicate Euangelium &c. Signa autem &c.*
*In nomine meo dæmonia eiicient, linguis loquen-* *Marc. 16.*
*tur nouis* &c. His fides fuit confirmata ac fir- *17.*
miter ſtabilita, ſicut ait Apoſtolus. *In nos confirmata eſt, conteſtante Deo ſignis, & portentis.* *Hebr. 2. 4.*
Et dum olim in populo Iudaico Deus fidem ſuam condidit. (*Notus in Iudæa Deus.*) fie- *Pſ. 75. 2.*
bant tum temporis miracula ſine intermiſſione continua, quibus illa fulciebatur; quinimò hoc vltimum in hac piſcina demiramur, quam Deus vt fulcrum quoddam robuſtum ac immobile condidit, ac fidei ſuæ ſuſtentaculum.

Soleo dicere, quòd Deus populo illi dede- 4
rit templum ac Sacerdotes eo modo, quo conciliarij Dauidi Abiſag Sunamitidem ſubſtitue- *3. Reg. 1. 7.*
runt: Fuerat Dauid adoleſcens robuſtus, leones diſcerpſerat, vrſos præfocarat, fortiſſimos deuicerat inimicos: at iam ſenio grauis, & multo fractus membra labore, frigore nimio conſtringebatur: cooperitur pellibus ac ſtragulis, ſed minimè concaleſcit. Vt verò paululum foueatur, concludunt ei ſubmittere puellam iuuenem, pulchram, vegetam, quæ regi concumberet, cumque frigentem calefaceret, corpus ſiccum ac emortuum repararet. Hoc modo Dauidis vita incolumis ſeruabatur, vſque dum morte naturali diſcedens exſpiraret. Erat populus Iudaicus ſuis in primordiis ac iuuentute validus, omnes ſubiugabat aduerſarios, Chananæos, Hethæos, Iebuſæos, Amorrhæos, Cethæos, Amalecitas, Philiſthæos; cuius per totum mundum fama ſpargebatur victoriarum: Modò verò capularis prouectæque ætatis, ei vires langueſcunt, vigor calorque deperiit charitatis: hoc eorum erat omne ſtudium vt pellibus cooperirentur, id eſt, operibus bonis ac ceremoniis exterioribus: cuncta hypocriſim, fictionem, & exteriorem redolebant apparatum:

iam eorum patebat virtutis vigor infirmior, dum eos Romani ſubditos regerent, deuictoſque aſpernarentur. Quod remedium, eius viribus conſeruandis aptiſſimum conquiremus? Ad templi latus, quod eſt pars principalis, ſtatuatur, ſubſidium, puella robuſta, ſana; id eſt, piſcina, cuius tanta ſit virtus, quam orbis ſtupeat vniuerſus, vt illâ aliquanto tempore fulciatur, & omnes intelligant, apud eos Deum coli ac eſſe miſericordem.

Quod ſi in diebus Eliſei crediderit mundus, Deum verè eſſe cum Iſraëlitis, eo quod inter eos eſſet, qui curare poſſet immundos à lepra, modò iudicent omnes, Deum hic eſſe cum ſit, qui virtute ſuas omnes ſanet infirmitates. Proinde mihi perſuadeo, quòd Deus paucis annis ante Chriſti aduentum hanc ſtatuerit piſcinam ad prædictum effectum: quia eius nulla ſit mentio in S. Scriptura quantum ad hoc, & opinatur Tertullian. id quod ego quoque concedo, certum eſſe, quod poſt hunc diem deinceps huius piſcinæ virtus ad infirmos curandos ceſſauerit, ita vt, nullum poſt hac curauerit infirmum, cum huius numquam legam fieri mentionem. Magnum eſt hoc ſuſtentaculum; cum ibi, teſte Dauid, *Deus in fortibus eius cognoſcetur*, & in eum finem piſcinam condiderit, vt virtutis ſuæ ibidem teſtimonium perhiberet. Qui fortitudinis ſuæ vult exemplum exhibere, hoc non aget in rebus infimis ac debilibus: illas enim ſuperare, nulla illi foret gloria, nullum virium ſuarum efficax teſtimonium, ſed in rebus fortioribus: qui enim ſe oſtendit eo fortiorem, qui cæteris creditur robuſtior, clarè ſuam ſupra omnes probat fortitudinem. Hæc autem maxima erat populi Iudaici fortitudo, nimirum, virtus piſcinæ: O quàm magna, quæ cunctas curet infirmitates, ſanetque morbos, ad quam nulla mundi poteſt contingere fortitudo. Adeſt Chriſtus, & ſuas, declarat maiores eſſe vires, quàm piſcinæ: licet enim magna ſit piſcinæ huius fortitudo, curare nequit, niſi præſtituto tempore, deſcendente Angelo, qui motu inuiſibili aquas conturbet, & hoc ad vnius tantum curationem, qui primus acceſſerit, aquamque fuerit introgreſſus poſt eiuſdem motionem; ille verò qui tali non fuerit ingreſſus tempore, deficiente piſcinæ virtute, non ſanabatur: idcirco curari non potuit hic paralyticus, qui ibidem triginta & octo annis ſuum longanimis præſtolabatur ſalutem, ſed ſpe ſua fruſtratus, prout conqueritur, *Dum venio enim ego, alius ante me deſcendit*, totamque ſecum iam ſanus detulit hauſitque piſcinæ virtutem. Aduerte igitur Chriſti Domini virtutem qui piſcinæ ſuperat vires, & quem illa curare non potuit, ſua Chriſtus virtute ſanauit, quippe qui non ſubeſt tempori, vt illius exſpectet momenta, nec aquæ indiget commotione Angelico miniſterio excitatæ, nec opus ei eſt vt paralyticum aquis immergat membris ſolidandum, ſed ſolo ſuo verbo paralyticum ſanitati reſtituit incolumem, & omnia quæcumque vult, facit independens.

*L. contra Iudæos c. 13.*

Hic quoque ſuam Chriſtus declarat virtutem, in eo quod propria virtute, non emendicata, non ab Angeli motu dependente, vt piſcina, ſine temporis operetur limitatione, ſine certo perſonarum numero illis omnibus quibus dignatur, impertiat ſanitatem. Eleganter de hoc diſcurrit D. Gregor. apud Lipoman dicens: quod quidquid Sancti operati ſunt, hoc Dei ſunt virtute operati: quod latiùs probat inductione operum Moyſi. Expendit autem illud: *Quis ſimilis tui in fortibus Domine?* Fortis fuit Moyſes, at virtute non propria, ſed communicata ſibique à Deo conceſſa. *Dominus autem Ieſus incomparabiliter, non aliena virtute apparuit, ſed in ſua: Vnde ex ſeipſo potens, paralytico imperans ait: Tibi dico, ſurge: Hinc etiam ſcriptum eſt, quotquot tangebant eum ſalui fiebant. Et iterum virtus de illo exibat, & ſanabat omnes. Hoc namque inſigne fortitudinis, nec Moyſes, nec alius facere potuit, vt dum incomparabilia ſigna innoteſcerent, ad verbum vnigeniti apertiſſimè deſignarent. Opti mè igitur et dicere poſſumus: Quis ſimilis tui in fortibus Domine?* Hoc Dei erat epithetum, vt notat Sixtus Senenſis, quod ſuis vexillis inſcribebant Machabæi; vnde & nomen ſumpſere Machabæi In Hebræo enim hæc ſunt quatuor nomina: Mi, Camocha, Baëlim, Iehoua, quorum primæ litteræ, ſcilicet M. Ch. B. I. ſignificant Machabi, id eſt Machabæi. Tu quoque time, ex illo enim opere (teſte Moyſe) hoc ſecutum eſt: *Aſcenderunt populi & irati ſunt, dolores obtinuerunt habitatores Philiſthijm.* Erant namque vicini In Hæbræo (vt refert Caietan.) ſic legimus: *Audierunt populi, tremunt, tremor apprehendit habitatores Philiſthijm.* Philiſthijm, ſecundum Originem ſignificat: *Cadentes populi.* Et idem aduertit Rupert. Conſonum eſt rationi, vt cuncti Dei timeant fortitudinem Chriſtique virtutem, hæc enim præualet, eamque cæteri licet integer populus, ſuperiorem venerantur, illi ſe ſubmittunt, in eiuſque ſe proſternunt præſentiâ ſuperioris.

II. Chriſtus fortior ipſa piſcina.

D. Greg. In c. 1. lib. 1. Reg. apud Lipom.

Exod. 15.10.

In cap. 15. Exod.

§.2. Pro-

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

### §. 2. *Probatur Chriſtus probaticâ ſuperior, vt olim ipſis cœlis.*

5 CHriſti, monet Apoſtolus, in eo agnoſces virtutem, quòd egerit, & fuerit operatus, quod nec ipſa tota lex vetus potuit aut agere aut operari. *Quod impoſſibile erat legi, in quo infirmabatur &c.* Vt ſubtilem habeo annotationem D. Cyrilli Alexandr. expendentis, cur Deus dum celſitudinem ſuam Senioribus Iſraël manifeſtat, apparuerit cœlos pedibus ſuis ſubſternens, mille ſtellis inſtar Saphirorum radiantibus præfulgidos. *Viderunt Seniores Deum Iſraël, & ſub pedibus eius, quaſi opus lapidis Sapphirini, & quaſi cœlum, cum ſerenum eſt.* Modo prorſus ſtupendo, reſpondet D. Cyrill. vt oſtenderet Deus, magnitudinem pulchritudinemque ſuam cæteris eſſe ſuperiorem, hoc ei declarandum erat, in eo quod ipſi pro pulcherrimo ac excellentiſſimo ducerent, ſcilicet cœlo, cuius ſtellifera contignatio ac pulchritudo ſyderea ab Ægyptiis vt Deus colebatur, cum nihil eſſet illo ſuperius.

Rom. 8. 3.

Exod. 24. 10.

Attende (inquit Deus) in cœlis iſtis, quantò mea ſit eminentior altitudo, pulchritudo ſuperior: cum illam quam vos ſupremam creditis pulchritudinem meis ſubiiciam pedibus, & quod ex illis arbitramini ſublimiſſimum, illud maximè eſt inferius, quod enim in me vt inferius repræſentatur, pedes mei ſunt, quibus illud veſtrum ſublimiſſimum ſubſternitur: ſed nec cœlorum altitudo vſque ad illud aſcendit, quod in me videtur humillimum: mons veſter, mihi vallis eſt. *Quia in Ægypto filij Iſrael coluerunt creaturam, & cœlum Deum appellabant, ideò rerum illi Dominus, ſuper ipſum quoque firmamentum ſedens apparuit, vt intelligerent, illum omnia ſub pedibus habere, & ipſius cœli eſſe Dominum, & illius effectorem.*

D. Cyrill. Alex. *Lib.* 11. *de Adorat.*

Irrefragabilis altitudinis ſuæ probatio, eam manifeſtans in hoc quod cæteris altius æſtimatur. Credo quoque, quòd eodem modo Chriſtus voluerit ſuæ mortis hora oſtendere potentiam. Vt enim is vinctus comprehenderetur, tota confluit in vnum terrena poteſtas, in militibus populus Romanus, & in miniſtris Principum ac Sacerdotum, populus Iudaicus, quorum omnium ei ducem creat Iudam Iſchariotem. *Iudas ergo cum accepiſſet cohortem, & à Pontificibus & Phariſæis miniſtros.* Ad quid tot vires reduplicatæ? Nimirum, vt Chriſti cunctis pateat fortitudo. *Deus in fortibus eius cognoſcetur.* Accedunt, illum aggrediuntur, impetum faciunt: at vno Chriſti verbulo; quo nihil ſuauius, in terram cuncti corruunt ſuperati. En Chriſti poteſtatem: illud enim quod in eo dixeras eſſe minùs validum, vnicum ſcilicet verbum, mundi debellat fortiſſimos. Contuere, *quod infirmum eſt Dei, fortius eſt hominibus.* Potentia enim eius ac robur; coram fortiſſimo quolibet ac robuſtiſſimo patet robuſtius, videtur potentius, reliqua ſuperat. Hoc hodie perfecit: coram enim totius veteris legis fortiſſimo, & templi potentiſſimo, ſuam ille demonſtrat potentiam, explicat robur, dum in ictu oculi, verbo vnico, quod in illo erat infirmius, curat paralyticum, quem piſcina, quæ apud Iudæos erat omnium potentiſſimum triginta octo annorum ſpatio curare nequiuerat, nec vnquam poterit. Tale verò fuit hoc virtutis Chriſti argumentum, vt eâ perſpectâ continuò Principes in eius necem ac perditionem conſpirarint; vt memorat Euangeliſta. Et hoc quoque adiungit Dauid: *Ecce Reges terræ congregati ſunt, conuenerunt in vnum. Ipſi videntes ſic admirati ſunt, conturbati ſunt &c.* Cernunt mirabilia magna, paralyticum inſtar cerui ſubſilientem, ſublato in humeros lecto progredientem: & ecce conturbantur, admirantur, concilia cogunt, Chriſto bellum indicunt: hic enim radiorum ſolis eſt effectus, dum clariùs lucent, veſpertiliones, aueſque nocturnas commouent, obtenebrant & excæcant.

Ioan. 18. 4.

1. Cor. 1. 25.

Pſ. 47. 5.

Ob quam præciſam rationem miraculum hoc voluit clariſſimè manifeſtari, proinde ſanato coram omnibus paralytico præcepit, vt in humeros grabatum tolleret iam robuſtus, & per vrbis plateas ambularet. *Surge tolle lectum tuum, & ambula;* vt anſam daret miraculi huius manifeſtationi, ſicut ſine vllo fuco illud ita cunctis perpalam euaſit, vt Phariſæi mortales inimici iudicarent expedire, illi ſe deberet opponere, inſuper & perſequi hominem illum, qui tam aperta voce, ac ſine vllis verborum inuolucris ſe Filium Dei naturalem declarabat ac euulgabat. Tria Chriſti opera mihi occurrunt, in quibus, & per quæ ſe verum eſſe Deum indicabat, hac in ciuitate facta, & huic intentioni innixa vt in ea ipſe ſe manifeſtans cognoſceretur, vt prælibauimus, & hæc omnia ſubtiliter enarrat D. Ioannes, cum ille eſſet, qui in ſe ſuſceperat Diuinitatis Chriſti proferre argumenta, vt ait D. Hieronym. Primum fuit de Adultera, quam Iudæi ad Chriſtum adduxerant in adulterio deprehenſam, eumque iudicem in hac cauſa elegerant: hic ſe Deum oſtendit: dum in lucem prodit, iiſque Satrapis aperit

I. Tria opera Chriſti indicabant diuinitatẽ. *Ioan.* 8.

aperit eorum cordis abditiſſima peccata, vnica ſcriptura in terra vniuſcuiuſque ſcelera exarans: diuinam ſuam in tantum declarans auctoritatem, vt adulteram in vtroque foro liberam abſolue-rit, & non ſolùm in interiori, peccata illa ſua condonans miſericors, ſed etiam in exteriori, cum enim lex tam diuina quàm humana eam lapidibus obrui huius criminis ream præciperet, nihilominus in omni iudicio dimiſit abſolutam; vt infra latiùs exponemus.

Alterum contigit die Palmarum, quod etiam debitis circumſtantiis refert D. Ioannes: quo Chriſtus ſe Dominum ſupremum declarauit creaturarum, præcipiens vt talis, ad ſe adduci aſinam & pullum, rabidos ſummorum Sacerdotum, Phariſæorum, Scribarumque reprimens impetus, qui iam eum publico concilio reum mortis conclamarant, linguas, cordaque permouens, parum eſt virorum, ſed & puerorum, lactentium, infantium, vt omnes vnanimi eademque acclamatione, voce contentioſa, eum faterentur, ac reciperent vt verum Regem, Dominum, & Deum ſuum: de quibus proprio loco latiùs. Tertium fuit hodiernum huius paralytici, quod ſicut primum fuit quod Chriſtus edidit in veræ ſuæ diuinitatis teſtimonium, ita nedum verbo illud declarauit, ſed ex profeſſo illam probare, ipſiſque voluit Phariſæis publicare, nec id quidem in angulo, ſed populoſa hac in ciuitate, in qua voluit ab omnibus, vt Deus agnoſci, coli, adorari. Quocirca præcipiens paralytico, ſanus ſurgeret, iunctim mandat, tollat lectum ſuum, qui vtique prænoſſet, quòd ob hoc illico Iudæi contra illum inſurgerent, eum legis diuinæ tranſgreſſorem arguentes ac feſti à Deo mandati violatorem, quodque proinde eſſet Deo ipſi contrarius. Erat autem hoc præceptum de ſeruando Sabbato cæteris notiſſimum, quod in die feſto nulla ferri onera permittebat: ob collecta quippe quædam lignorum ſegmina, & domum relata, præcepit Deus virum lapidari, vt infra dicemus. Proinde æſtimabant Phariſæi nulli puro homini permiſſum eſſe legi ſubiecto, tollere, aut iubere tolli onus in die feſto, niſi diuina polleret auctoritate, ipſa lege, ſuperiori. Hanc Chriſtus ipſis declarat, ſe habere, ſe legis Dominum, legique ipſa ſuperiorem manifeſtans, dicta ſua probans. *Dicebat illis: quia Dominus, eſt filius hominis, etiam Sabbati.* Quocirca dum in eum omnes inſurgunt, ob prædicta, & inſimulant quòd infirmo iuſſiſſet tollere grabatum in die feſto, rem, diuinæ legis cultoribus illicitam, ipſe Chriſtus concionem exorſus eſt proli-

Luc. 6. 5.

xam, cuius illud ſtatuit fundamentum, quòd filius eſſet Dei, Deus, vt Pater, omnipotens, proinde illis hoc primum præfatur: *Ieſus autem reſpondit eis: Pater meus vſque modo operatur, & ego operor.* Mirabile argumentum, vt notant Leontius, Theodorus, Mopſueſtenus, præclari inter Græcos expoſitores: quaſi diceret. Norunt omnes, relatum à S. Scriptura, quòd Deus ſex dierum ſpatio poſtquam mundum creauerat vniuerſum, ceſſauerit die ſeptimo, quocirca de eo ſic dicitur: *Requieuit Deus die ſeptimo.* Proinde in eius venerabilem memoriam, ſanctificauit diem ſeptimum, hominibuſque præcepit, vt dies ille foret illis dies quietis, quo opus ſeruile facere licebat nemini.

Ioan. 5. 17.

Gen. 2. 2.

Sic ſe res habet, verumtamen eo modo Deus die ſeptimo requieuit, ac creare & operari deſtitit, & eo modo præcepit hominibus ab omni opere requieſcere, vt tamen tanquam ſupremus ac independens Sabbati, legiſque Dominus, plena manſerit poteſtate liber, ea operandi die Sabbato, aliiſque diebus quælibet, quando & eo quo ſibi placuiſſet modo, de quo illum nemo iure redarguat: licet enim ipſe legem ſtatuerit, ſuperior tamen ipſa lege & eiuſdem manſit Dominus abſolutus: Sicque cernimus, quòd opera ſua faciat in Sabbato, quas vult animas creat. Ita Sabbatis, ſicut aliis diebus, & mouet & diſponit elementa Sabbato, quaſi non in Sabbato. Hoc agit Pater meus, hoc quoque ego ago Patri æqualis: *Pater meus vſque modo operatur, & ego operor.* Hæc audientes Iudæi, vt ſerpentes exacerbantur, & exinde (teſte Euangeliſta) ſeriò Chriſtum perſequi cœperunt, eumque perdere maligni cogitarunt, exiſtimantes facti ſui quam dabat, rationem, ipſo facto ſuo eſſe nequiorem. Legifragum iudicabant, præcipere Paralytico in die feſto tollere lectum ſuum; ac in Deum blaſphemam iſtam rationem ab ipſo allegatam, quòd hæc præcipere, ſibi liceret, quia filius eſſet Dei, Deo in poteſtate operandi, æqualis, quo tempore, quove modo expedire ipſe iudicaret. *Propterea ergo magis quærebant eum Iudei interficere quia non ſolum ſoluebat Sabbatum, ſed & Patrem ſuum dicebat Deum: æqualem ſe faciens Deo.* Hæc ſunt Euangeliſtæ verba, quibus SS. Patres refellunt blaſphemam Arij hæreſim dicentis, filium Patre eſſe minorem. Illa notant D. Ambroſ. *a* & D. Cyrill. *b* Realiter Chriſtus (ait D. Euangeliſta) his verbis ſe faciebat & declarabat, & huius miraculi occaſione, Patri æqualem.

6. 11. Deus eſt ſupra legem.

Ioan. 5. 18.

a Lib. 1. de Fide c. 1.
b Li. 2. Theſaur.

Videamus modò (inquiunt SS. Patres) vter hic men-

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

mentiatur, Chriſtus vel eius Euangeliſta. Mentiri poſſe nemo dicat Euangeliſtam, cuius linguam, cuius calamum Spiritus S. ducebat regebat, dirigebat, Spiritus ille veritatis: Vero quoque verius eſt, longiſſimè à Chriſto omne mendacium abfuiſſe: etenim ille erat, ſumma, ſuprema, ac prima veritas: de fide igitur eſt (inquit D. Ambroſ.) quod perſpicuè Arius aut contradicat Euangeliſtæ, cum dicat, quod nec ſe Chriſtus declarauit, nec dixit, ſe eſſe Patri æqualem, aut ipſi contradicit Chriſto, qui ſe vt talem promulgat. Illum (inquit) ipſi confundunt Iudæi: cum enim illi hæc verba clarè prolata ſic intelligerent, ex illo tempore Chriſto moliri inſidias non deſtiterunt. Ille verò nedum dicta à ſe reuocauit aut pedem retraxit, quinimo eo poſito fundamento proceſſit vlteriùs, articulum hunc diuinis confirmans rationibus, ſeque illis manifeſtans, vt à Moyſe promiſſum, dum ei Dominus ait: *Prophetam ſuſcitabo de gente tua*, &c. [Deut. 18. 15.] Quodque in ſe Deus verbum ſuum impleuerat, ipſi vero perduelles eſſent: cum enim illis Deus antiquum ſuum promiſſum, ac iuramentum compleſſet, de mittendo Meſſia, illi ſuis non ſtarent promiſſis de illo recipiendo, quando veniret & ſe illis apertè manifeſtaret præſentem; progreſſus eſt autem Dominus hæc tot diuinis clariſque demonſtrans rationibus, vt illos & ſummo pudore confuderit, nos autem totamque Eccleſiam in veræ diuinitatis ſuæ fide illuminarit. Cum eſſent autem hæc argumenta, ac rationes adeo ſublimes, eas voluit D. Ioannes ad longum exarare, ita vt his reliquum capituli ſcribens, ſatis fusè impenderit: eorum omnium illud ſtatuens fundamentum, facinus ſcilicet illud hodiernum tam mirabile. Magnum facinus, fortiſſimum Chriſti diuinitatis argumentum. Quocirca illud Euangeliſta debitis ſuis, iiſque admirandis deſcripſit circumſtantiis illud: igitur attendamus.

## §. 3. Erat dies feſtus Iudæorum. *Operatur Chriſtus hoc miraculum in feſto celebriori, quo plures habeat teſtes.*

☞ 7 ENarrans D. Ioannes hoc prodigium, ſupponit fuiſſe diem feſtum Iudæorum: *Erat dies feſtus Iudæorum*. Opinatur D. Iren. fuiſſe feſtum Paſchæ, [D. IREN. *Lib. 2. contra hæreſ.* c. 39.] & hoc ſupponere ſolet D. Ioannes in præcipuis operibus, quæ de Chriſto memorat. Primum, cùm ſe manifeſtauit in templo, negotiatores, columbaſque vendentes eiiciens, quo primarios Sacerdotes, omnemque populum



exercuit circumſtantem: fuit autem hoc circa feſtum Paſchatis: *Prope erat Paſcha Iudæorum.* [Ioan 2. 1.] Miraculum ſeu multiplicatio panum contigit tempore Paſchali. *Erat dies feſtus Iudæorum* Hodiernum quoque in Paſchate Chriſtus peregit. Primò quo nobis innoteſcat, Deo nullum feſtiuius Paſcha celebrari, quàm dum nobis ſua largitur beneficia liberalis. *Lætatus eſt Dominus ſuper vos, bene vobis faciens*, ait Moyſes. [Deut. 28. 63.] Secundò: quo doceamur, quòd ſi nobis omnibus ſit diebus, bonis operibus incumbendum, præcipuè tamen hæc diebus feſtis exerceamus, vtpote particulariter inſtitutis, vt ea cultui diuino conſecremus: quoque ſunt feſta celebriora, eò ſint & opera veſtra bona perfectiora; In illis tibi conuenit viſitare Noſocomia, viduis opitulari, captiuos conſolari &c.

F. [Feſta ſunt nobis colenda.] Voluit Chriſtus vnico ictu actuque confundere horum nequitiam proditorum, quo ad obſeruantiam legis circa feſtorum cultum, noſque pariter erudire, quis ſit verus ac legitimus cultus, quo nobis præcipitur, feſta celebremus. Admiremur omnes; quanto ſtudio Dominus nobis præceperit feſtorum cultum, illum præ reliquis præceptis inculcans ſæpius, eaſque ceremonias, quas ordinauit, ac voluit vt in illis ſeruarentur, proinde pœnam capitis (ad minus) ſtatuit eorumdem tranſgreſſoribus, lege tam ſtricta, vt hominem ligna die feſto igni ſtruendo colligentem proprio ore lapidandum condemnarit. Quis non ſtupeat zelum cultus Dei viri S. Nehemiæ, nobis à Spiritu S. relatum? Iam ſeptuaginta annis dura populus Dei in Babylonia ſeruitute oppreſſus ingemuerat, plurimorum ſcelerum reus. His peractis, diſpoſuit benignus Deus, vt egrederetur, ac in patriam ſuam Hieruſalem liber reuerteretur Illuc reuerſis Iudæis inſtauratis domorum ſuarum ruinis, ruderibus reparatis vidit D. Nehemias vt ipſe hæc narrat. *In diebus illis vidi in Iuda calcantes torcularia in Sabbato, portantes aceruos, & onerantes ſuper aſinos vinum & vuas, & ficus, & omne onus; & inferentes in Hieruſalem die Sabbati. Et conteſtatus ſum, vt in die qua vendere liceret, venderent. Et Tyrij habitauerunt in ea, inferentes piſces & omnia venalia: & vendebant in Sabbatis filiis Iuda in Hieruſalem.* [2. Eſdr. 13. 15.] His grauiter commotus vir Dei, infuſus lachrymis, voce flebili, illos arguere, meliora ſuadere toto conatur pectore: Quid agitis, ô viri, quid agitis. An ideò captiuitate miſeranda ſoluti in patrios lares reuerſi, vt ad priſtina peccata relabamur, & ſint nobis poſteriora peiora prioribus? An Canes ad vomitum? *Quæ eſt hæc res mala, quam vos fa-*



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*citis & prophanatis diem Sabbati?* Ob quam, creditis, culpam, Deus patres noſtros puniuit, & captiuos eiecit in Babyloniam, patrium ſolum peſſumdedit, euertit Hieruſalem, opes diſperdidit populi, niſi ob talia opera lege prohibita, ab ipſis facta in Sabbatis, & die feſtum prophanatum? [2. Eſdr. 13. 16.] *Numquid non hæc fecerunt Patres noſtri, & adduxit Deus noſter ſuper nos omne malum hoc, & ſuper ciuitatem hanc?*

Hoc vnum lego ſupplicium cæteris atrocius, quo Deus populi ſui crimina caſtigauit iuſtus iudex: nimirum, dum Rex Nabuchodonoſor copioſa militum manu ingreſſus eſt Hieruſalem, eam ſolo tenus eruit, omne quod ſpirare poterat, interemit, domos ſuccendit, & in tantam redegit ſolitudinem, vaſtauitque funditus, vt teſte D. Hieronym. ſpatio annorum ſeptuaginta, nec paſſerculus, nec aliquod animal, aut viuens in tota illa videretur regione. Heu Domine: quæ tanta peccatis pœna? quod ſceleribus flagellum tam durum? Audi delicta. Ob violata feſta, legem tranſgreſſam, onera ſublata, tranſlata, exercitas mercaturas in die Sabbati &c. Ecce zeli rigorem, quo Deus voluit, vt feſta ſeruarentur, & ea huius eſt ratio, quam ipſe Deus declarauit: quando poſt latam legem, & inter alia ſua mandata hoc quoque de cultu feſtorum nominatim præcepto, poſt data in monte Sinai præcepta iudicialia, legalia ac ceremonialia: poſt propoſitum exemplar tabernaculi, cum ſuis cortinis, ac tabulis Setin: fabricæ arcæ, propitiatorij, candelabri, menſæ panum, altaris incenſorum, holocauſtorum, ac ſacrificiorum: poſt factam de Sacerdotibus mentionem, eorum deſcriptam conſecrationem, omnibuſque iam abſolutis, dum Moyſen vult dimittere, vt ad populum duabus tabulis legis inſtructus remearet, denuo repetit, de cultu feſtorum præceptum, quaſi nihil de eo fuiſſet cum Moyſe collocutus, nihil præcepiſſet: [Exod. 31. 13.] *Loquere ad filios Iſraël, & dices ad eos: videte vt Sabbatum meum cuſtodiatis, quia ſignum eſt inter me, & vos in generationibus veſtris: vt ſciatis, quia ego Dominus, qui ſanctifico vos.* Hoc inter omnia tanquam lapidem fundamentalem populi ſui cordibus inſculptum voluit Deus, quod per Vatem ſuum Dauid aſſeruit, vt ſcirent omnes, quod ipſe eſſet & ſolus & verus Deus [Pſ. 49. 7.] *Deus Deus tuus ego ſum.* Intelligerent quoque, cum talis eſſet, quod ab eo totum eorum bonum, ſalus, & vita dependerent tam in ordine naturæ, quàm gratiæ, & hanc fidem proteſtantes, ad illum confugerent, actibus fidei ac religionis, coram eo aſſiſterent, ſe eius ſeruos, eius creaturas confitentes. Ad hoc ſtatuit, vt quiſque ſex hebdomadæ dies, vt ſibi proprios haberet, vt in eis quiſque faceret ea quæ familiæ ſuæ conuenirent, & temporalibus beneficiis deſeruirent. Attamen ſibi diem ſeptimum reſeruauit: vt illum operibus diuini ſui cultus conſecrarent, coram Deo comparerent, ei gratias pro receptis beneficiis referrent, alia noua depoſcerent, animam ſpiritualibus exercitiis in bonum ſuum occuparent, non minori diligentia, quàm per reliquos hebdomadæ dies impenderunt corpus rebus corporalibus acquirendis.

Quocirca Cardinalis noſter Caietan. obiicit, [In cap. 20. Exod.] circa illa verba quibus Deus, hanc Sabbati legem promulgauit *Memento vt diem Sabbati ſanctifices.* Cur Deus in hoc præcepto verbo illo vtitur [Exod. 20. 8. 11.] *Memento*, nec illo in aliis nouem præceptis vtitur? Vt nouerimus, inquit, rationem huius eſſe præcepti, expergefacere memoriam, & quòd [Deus ſæpe feſtorum inculcat obſeruationem.] Deus die feſto non intendat, vt tantum ab operibus corporalibus ac ſeruilibus ceſſetis: hoc enim eſſet, velle vos degere otioſos, vt alius Philoſophus opinabatur, qui Deum ſubſannabat Iſraëlis, qui populo ſuo ſeptimam temporis partem derogaret, quo præcipiebat, vt nullo populus ſuus eo die opere diſtenderetur: quin potius hoc intendit, vt operibus illis ſeruilibus ceſſantibus, anima ad ſpiritualia ſe extendat liberior: receptorum à Deo donorum recolens memoriam, pariter quàm arctè tam liberali Domino ſeruire teneatur. *Vt intelligamus* (inquit Caietanus) [CAIET.] *rationem præcepti eſſe recordationem, vt intelligamus non placere Deo quietem ab operibus ſeptima quoque die, niſi ratione memoriæ, & ratione interni cultus.*

Summatim vt animæ tuæ ſollicitus inuigiles, eamque diſponas, vt talis cum Deo ſit, qualem eſſe conuenit homini Chriſtiano. Ratione huius expendit D. Auguſtin. *a* & D. Cyrillus Alexandrin. *b* id quod Deus in ordine ad hoc præceptum ipſe declarat: [a Lib. qq. in Exod. q. 89. b Lib. 4. in Ioan.] Mandabat vt Sabbati requies ſeruaretur, qua famulus, & famula, & iumenta ſibi ſeruirent ac conquieſcerent. [Exod. 23. 12.] *Sex diebus operaberis, ſeptimo die ceſſabis, vt requieſcat bos tuus, & aſinus tuus, & refrigeretur filius ancillæ, & aduena.* Tantâ vigilantiâ Deus in hoc proceſſit, vt conformiter, ſicut totius hebdomadæ vnum diem, nempe Sabbatum, quieti deſtinauit hominibus, ſeruis, famulis & animalibus; ita quoque conſtituit annum ſeptimum quietis terræ, vt boues ac iumenta, quæ illam colunt, illo conquieſcant; proinde legem condidit, vt licet tellus eſſet frumenti, aut vinea, aut oliuetum,

ſex.

ſex eam annis continuis ararent, colerent, conſererent, vineas putarent, cultiuarent oliueta, & omnium fruges in horrea colligerent: ſeptimo verò anno, tota terra quieſceret, & plantæ incultæ manerent, ne quis illas tangeret aut terram aratro, vel vomere proſcinderet &c. [Exod. 23.12.] *Sex annis ſeminabis terram, & congregabis fruges eius, anno autem ſeptimo, dimittes eam, & requieſcere facies. &c. Ita facies in vinea, & oliueto tuo.* Quia verò ſtatim hæc ſe offerebat difficultas. [Leuit. 15.20.] *Quod ſi dixeritis: quid comedemus anno ſeptimo, ſi non ſeuerimus, neque collegerimus fruges noſtras?* Sed nec anno octauo ſupererit quod comedamus: illo enim neceſſe erit arare terram, præparare, & circa anni terminum ſerere, proinde non niſi circa noui anni exitum fruges colligendæ. Hanc Deus illorum præuenit anxietatem: ne vos hæc cura ſollicitet; perpetuo quippe vobis adero miraculo. [Leuit. 25.21.] *Dabo benedictionem meam vobis anno ſexto, & faciet fructus trium annorum, ſerétiſque anno octauo, & comedetis veteres fruges, vſque ad annum nonum, donec noua naſcantur, edetis vetera.*

O ſummam Dei prouidentiam, qui tanta Iudæos præuenit ſollicitudine: vt quidquid hominum ſeruit, ſuum habeat tempus, diemque quo à labore conquieſcat. Et ſeruus, & ancilla, & bos, & iumenta, quin & ipſa terra, & plantæ vacarent. Quid hoc te tangit, cælorum Domine, quærit D. Auguſtinus, quòd quieſcant boues, iumenta, terra, quæ præcisè in hominis obſequium produxiſti? Quid tua refert, quærit D. Cyrill. Alexandrin. ô Domine, terra, plantis, arboribuſque conſita, quòd tanto ſtudio eius procures quietem populoque præcipias, vt eam minimè colant, tempuſque concedant quietis? Ne hoc tibi perſuaſeris, reſpondent hi SS. Patres, quòd Dei pectus cura torqueat aut ſeruorum, aut animalium: iam enim dixit ſimili occaſione D. [1. Cor. 9 9.] Paulus: *Numquid de bobus cura eſt Deo?* Nec hoc quoque credideris, quòd primariò Deus intendat quietem terræ, aut vacationem plantarum, quæ cum ſint inſenſibiles, quietis non ſunt capaces, ſed id quod dicit Apoſtolus, vt per id quod decreuerat, de ſeruis, animalibus, terra, & plantis hominis, ipſum hominem admoneret eius quod ab illo requirebat: [D. Cyr. Alex.] *Non inſenſatos agros præcipuè quieſcere voluit*, ait D. Cyrill. Et qui tanto ſtudio, & ſingulari præcepto hoc à te exigit, vt vnum hebdomadæ diem, & annum ſeptennij concederes quieti, famulis tuis, iumentis tuis, aruis, ac vineis: hoc ipſo te vult admonitum, tibique ſtatutum, quanto ſtudio quærat, tibique præcipiat, vt vel vnum ſeptimanæ diem quietis tribuas animæ tuæ, quam tot negotiis, contractibus, & terrenis laſſam obuiis impedimentis, quo eius ſtudeas paci, tranquillitati, ſeruilibus operibus dimiſſis, eam tantoperè diſtrahentibus, quia verò peccata vel maximè animæ perturbant tranquillitatem, ab his præcipuè conquieſcas & manum extendas, mentemque intendas iis quibus anima in Deo quieſcat, virtutibus proficiat, meritorumque bonorum ſalutaribus accreſcat incrementis.

Conueniens huic propoſito perelegans eſt illa annotatio D. Gregorij *a* de quo ſumpſiſſe videtur Abbas Rupertus *b* circa illud Domini populo ſuo ſtatutum, & verba, quibus ſuam explicauit voluntatem, cœleſtibus fœta myſteriis. [a L. 8. mor. c. 15. & li. 26. c. 36. b In c. 16. Exod.] Egreſſus liber Ægyptiaca ſeruitute Iſraëliticus populus, verſus terram promiſſionis caput iter, cui farina, quam ex Ægypto ſecum detulerat defecit iam exhauſta, fames illum grauiùs oppreſſit. Confugit Moyſes ad Deum, cui ille: [Exod. 16. 4.] *Ecce ego pluam vobis panes de cælo, egrediatur populus, & colligat, quæ ſufficiunt per ſingulos dies.* Singulis diebus recens ac calidus decidet, quocirca aduerte, inquit, vt quiſque colligat, quæ ſufficiunt per ſingulos dies, non plures, ſub pœna conuerſionis in vermes: *Die autem ſexto parent quod inferant, & ſit duplum quàm colligere ſolebant.* Quid igitur Domine, quid acturus ſum die feſto, num toto illo die immotus, ac cõplicatis ſedebo manibus otioſus? *Maneat vnuſquiſq; apud ſemetipſum, nullus egrediatur de loco ſuo die ſeptimo*: id eſt, ſit in ſeipſo collectus. Singulis hebdomadæ diebus egreditur cor veſtrũ curis, negotiis, impedimentis, huc illucque diſtractum vagatur, & iis & ob ea quæ extra vos ſunt diſcurrit occupatum. Die verò feſto apud ſe remaneat, ibi cõquieſcat, vt ea quæ intra te ſunt meditetur, mentis oculos in animæ ſuæ reflectat nobilitatẽ, eiuſdem perpendat conditorẽ, in quẽ ſit finem creata; quæ ſit illa ſuperna gloria, quæ regna cæleſtia ſibi à creatore præparata: quod illud beneficiũ, quòd te ad imaginẽ, ſuamque condiderit ſimilitudinem, lucem ſuam ac ſuipſius infuderit cognitionem: Quàm ritè compoſita, mundaque conſcientia, ſi non diſcompoſita, immundaque arguatur. Quàm Dei beneficiis gratus: qua ratione conuiuas proximo, eum num ſicut teipſum diligas: quæ tua modo ſit diſpoſitio, ſi te hinc in ſuum eripiat Deus iudicium: quod animæ tuæ bonorum operum lucrum, quod Deo in tuorum criminum offeras compenſationem? *Maneat vnuſquiſque apud ſemetipſum.* En tibi, cur feſta Deus præceperit.

*In c. 20 Exod.*

III. Phariſæi præceptum de cultu Sabbati intellexerunt.

*a Thre. c. 1. 7.*

CAIET.

*Apud Lipom. in c. 26. Gen.*

O ſtultis ſtultiores, infelices illos Scribas, & Phariſæos (exclamat Caiet.) qui, vt carnales verba hæc carnaliter intelligebant: quaſi fuiſſet illa Dei voluntas, manerent homines otioſi, inertes, nihil agentes, & quaſi poſtes conſiſterent immoti; quaſi verò Deus talis foret amicus otij, vt illud hominibus præciperet obſeruandum. Optimè & iuſtè eos ſic intuens Hieremias otioſos, deſides, ait: *a Deriſerunt Sabbata eius,* vt reipſa illos Gentiles irridebant, habebantque ludibio, vt otioſos naſo ſuſpendebant, vtique qui ſeptimam temporis anni partem inertes tranſigebant. *Deridenda ſiquidem eſt* (inquit Caietan) *ſola exterior requies, vtpote iactura ſeptimæ partis temporis* Venit Chriſtus (inquit Origen.) complens id quod Iſaac præfigurauerat. Foderat ſibi Abraham in terra Palæſtina puriſſimos puteos ouibus ſuis adaquandis: illos terra, lapidibuſque obſtruxerunt Palæſtini, quo potum ouibus ſubtraxerunt. Accurrit Iſaac & ſingulari opera illos expurgat, ſordes, terramque eruit, in animalium emolumentum. Effoderat Dominus ſuos puteos mandatorum in animarum ſalutem: digito ſuo, ſeu cæleſte illos in tabulis illis lapideis aperuit, quales in vtraque tabula puteos! illos Phariſæi, obſtruxerunt rerum terrenarum affectu, ſicut amore proximi, quo inimicum excludebant, honore parentum, quem ſolis verbis conſtare aſſerebant, non verò neceſſaria illis auxilia exhibendo: deſideriorum motuumque repreſſione de bonis, de muliere aliena; docebant enim ſufficere in illis, operibus non deeſſe. Particulariter tamen hunc feſtorum dierum cultus puteum oppleuerant: explicantes hominem nihil in eis operis facere oportere, ſed nec poſſe, etiam in proximi ſui ſalutem, animæque beneficium ſed complicatis manibus debere conſiſtere otioſum.

Hunc & verbis, & operibus Chriſtus aperuit, cum diebus feſtis opera peregerit præclariora. Dies erat feſtus Iudæorum, quando quinque panes fregit ac multiplicauit in quinque millia, dies erat feſtus Iudæorum quando in Synagoga manum aridam reſtituit, incuruamque erexit mulierem, paralyticum in lecto coram ſe expoſitum ſanauit; dies erat feſtus Iudæorum, quando triginta octo annorum paralyticum ſolidauit; miraculo inter cætera celeberrimo; quibus nos erudit, & hortatur, vt diebus feſtiuis, ſi quidem tibi operibus ſeruilibus ſit abſtinendum, & huic præcepto ſub mortali peccato adſtringaris, ea tamen tibi ſunt opera exercenda quæ in Dei dirigantur obſequium, tuique proximi cedant profectum; diebus his animæ tua ſalus diligentiùs, grauiuſque curanda: peccata confeſſione eluenda, ſacrum Chriſti corpus ſumendum, largiendæ eleemoſynæ, hoſpitalia frequentanda &c. Vtinam non ipſis feſtis diebus in peccata ruatis turpiora, frænum laxetis veſtris concupiſcentiis, Dei ſitis minus memores, veſtræque animæ incurioſi impendentes illos chartarum alearumque luſibus, choreis, terrenis vanitatibus, mundi deliciis: Hæc proinde ſit ratio ſecunda, ob quam Chriſtus hoc in die feſto miraculum egiſſe perhibetur.

Tertiam autem adduco rationem, ob quam Chriſtum hoc miraculum facere, expedebat: nimirum vt in Hieruſalem ſeipſum mundo manifeſtaret. Hanc elegit ciuitatem, prout nobis aſſeruit Dauid, vt factus homo, in illa temploque ſuo cognoſceretur. Ad hoc, ab initio leges ſtatuit, vt in feſtis Paſchalibus omnes Hieruſalem conuenirent, etiam longè diſſiti: vnde hominum milliones ad feſtorum Paſchatis celebrationem confluebant, vt quando iam factus homo, ibidem mirabilia operaretur, totius ſic mundi oculis exponeretur, vt omnes eorundem eſſent teſtes oculati, cuncti ea viderent, & ex his eum quis eſſet agnoſcerent. Prædixit Iſaias, hoc à Chriſto patrandum, nimirum, *Ducam cæcos per viam quam neſciunt.* Qui vero ſunt, quæſo, cæci illi, niſi ex plebe Iudaica? Ipſe idem exponit, addens: *Quis cæcus, niſi ſeruus meus?* Direxit ac mouit illos vt diebus ſolemnioribus ad templū properarent: nec ipſi nouerant, ad quid primariò illud tenderet, quæ huius eſſet ratio principalis. An non Domine illis poſſes præſcribere formam, quâ quiſque ſuis in regionibus Paſcha celebraret? Poſſet vtique illos tamen omnium volui huc adducere, vt cateruatim cunctos cōfluentes titulo & intentione celebrandi Paſcha, coadunatos haberem, & teſtes meorum miraculorū oculatos, quæ homo factus, ſum editurus, quibus meam mūdo declarabo Diuinitatem, liceatque mihi proteſtari. *Ego ſemper docui in Synagoga, & in templo, quo omnes Iudæi conueniunt, & in occulto locutus ſum nihil.* Sicut ſol ex medio cœli ſuos quibus terram illuminet, emittit fulgidiſſimos radios, ita ego quoque de medio templi. Proinde vt miraculorū emittat radios fulgentiſſimos, diem eligit concurſus publici totius populi ac vniuerſalis: in loco toto orbe famoſo nimirum templo, & totius vrbis patentiſſimo, ſcilicet noſocomio, vbi cunctis cognitus decumbebat paralyticus, ab omnibus ſæpius viſus triginta octo annorū curriculo, infirmitate nulli nō peruia, & ipſis triginta octo annis cōfirmata, apud Piſcinā tamq; ac toties

*Iſa 42. 16.*

*Ioan. 18. 20.*

9

expertæ virtutis, vt toti explorata conſtaret veritas regioni: in populo nominatiſſimo, tempore ſolemniſſimo, piſcina potentiſſima, infirmitate deſperata, die maximæ concionis, plurimis teſtibus, hoc mirabile prodigium, ac beneficium Chriſtus operatur. Huic conformiter, poſtquam dixiſſet Euangeliſta, quòd dies eſſet feſtus Iudæorum, quando Chriſtus aſcendebat Hieroſolymam, continuò ſubdit, *Eſt autem Hieroſolymis probatica piſcina, quæ cognominatur Hebraicè Bethſaida*: q.d. Chriſtus aſcendit ad domum fortem, vt ſeipſum mundo manifeſtaret, in piſcina, cuius tantæ erat efficaciæ fortitudo, vt quoſlibet curaret morbos eius qui primùm deſcendiſſet in piſcinam poſt aquæ motionem Angeli factam miniſterio.

## §. 4. Eſt Hieroſolymis probatica piſcina. *Nullibi commodius piſcina, quàm circa templum, & pauperes ad eius valuas, in noſtrum beneficium.*

10 SIſtamus parumper in hac coniunctione piſcinæ circa templum. In quem, quæſo, finem iſtam hoc loco Deus ſtatuit? quia xenodochium eſt, in quod concurrunt ac decumbunt quauis aduerſa valetudine laborantes & aptè circa templum erigitur. Diſcurrit leganter D. Chryſoſtom. perpendens, id quod S. notat Scriptura, communi hoc more receptum, vt pauperes ad templi valuas mendicarent. Hic cæcus ille à natiuitate hærebat, quem prætericns Ieſus vidit, Hic ille paralyticus rogans eleemoſynam, dum Petrus & Ioannes aſcenderent in templum ad horam orationis. Hic piſcina quinque porticibus ampliata: *In his iacebat multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum, aridorum.* Quàm diſſimile (ait) eſt templum, Deique palatium, Regum huius mundi ac Principum curiis: Ad horum enim oſtia non videas niſi nobiles, diuites, viroſque ambulantes illuſtriores, cuſtodes armatos lanceis, gladiis, omniqúe telorum genere inſtructos, qui aduenis terrorem incutiant. Ad Dei verò palatij valuas, quos videas? cæcos, claudos, aridos, paralyticos, laceros, nudos, anguſtiatos, fameſcentes, qui ora ſua claudere neſcierunt, ſuam prætereuntibus aperientes, exponenteſque calamitatem, inopiam, infirmitatem. Domine, hic his locus non videtur opportunus. Eſt quippe templum tuæ domus quietis, vbi quaſi ſtrato molliqúe lecto vteris altari tuo ac ſanctuario, de quo ipſe teſtaris, cui nemo contradicat: *Locus quietis meæ.*

*Hom. 18. ad pop.*

*Ioan. c. 9*

*Act. c. 3*

*Iſai c. 66.*

Ita quidam intelligunt benedictionem, quàm Moyſes impertijt Beniamin: *Amantiſſimus Domini habitabis in eo confidenter, quaſi in thalamo tota die morabitur.* Amauit Deus tribum Beniamin, ita vt in ea ſedem ſibi elegerit, quietis, & thalamum ſecurum: quia in terra eius, quæ ei ſorte obtigit, Mons erat Moria, in quo templum ſuum Deo Salomon ædificauit locum quietis Domini. Hoc autem maximè requirit thalamus regius, ſeu quietis locus, vt longè diſtet à fletibus, eiulatibus, lamentationibus, gemitibus, ac clamoribus: vbi enim hæc audiuntur; quis facile conquieſcat, quis ſuauiter obdormiat? Quieſcit Saul in tentorio ſuo regio medio campo: Vociferatur neſcio quis, quietem turbat Regem, prodit foras Dux Abner: St. St: tacete, quis hic clamor? obdormit Rex. *Quis es tu, qui clamas, & inquietas Regem?* Videre hic licet (inquit D. Chryſoſt.) quam ſit diſſimilis Dei mundique Principum conditio. Circa quietis ſuæ loca quærit Deus pauperes, mendicantes, vt inde certò colligas quanti illos faciat, etſi tu illos domibus tuis illuſos eliminaueris, ſuis te gemitibus infeſtantes, illos Deus thalamo ſuo vicinos adſciſcit: nec vlla eius auribus ſuauior inſonat melodia, quàm pauperum ſuſpiria, qui poſtulent miſericordiam. Non inconcinnè perpendit D. Pet. Chryſol. parabolicum illud à Chriſto propoſitum de amico, ad quem confugit ille, qui panum premebatur inopia, qui ad ipſas domus ſuæ portas cubile ſuum habebat, vnde & roganti reſpondit; *O quam dare vult, qui ſe inquietari taliter, taliter patitur ſuſcitari. O quam pulſanti iſte geſtiuit occurrere, qui ſic ſecreti ſui cubile ipſam collocauit ad ianuam.* Quem mihi oſtendas, qui cubilis ſui ſecretum, ad ſuæ domus oſtium ſtatuat, vbi quilibet eum inquietet dormientem? Hinc perſpicuum eſt, hanc eſſe Dei quietem, quando valuas eius ictu pulſas fortiori, ac ſæpius repetito, cum tuis inquietas gemitibus, excitas ſuſpiriis dormientem, vt heri diximus. Secundum: vt non ignores, ô tu opibus præcellens pauperes, domus Dei eſſe ianitores; quod ſi Dei regnum intrare poſſe confidis, illis fiat neceſſe eſt, intercedentibus: hoc enim Chriſtus aſſeruit: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cum defeceritis, recipiant vos in æternas tabernacula.* Attende diligenter verba hæc. *Recipiant vos.* Sunt etenim ipſi, qui concedunt ingreſſum, recipiunt & admittunt introeuntes. Ne eos aſperneris, tibi occurrentes, & portis tuis inhærentes, vt diues epulo vice-

*Deut. 33. 12.*

I. Diſparitas inter templa Dei, & principum curias.

*1. Reg. c. 26. 14.*

D. Pet. Chryſ. *Serm. 39. de perſeu. orat.*

*Luc. 16. 9.*

roſum Lazarum, qui nec eum intueri dignabatur viuentem, quem Deus morientem æſtimauit dignum, cui ſepeliendo chorum cæleſtium mitteret Angelorum, & quietis ſedem in ſinu Abrahæ delegaret ſempiternam.

☞ 11 II. Templũ eſt hominis refugium. 1. Reg. c. 1. Tertium: in tui ſolamen. Templum, locus eſt, quo te recipis Deo tuas oblaturus, & indicaturus calamitates, illis preſſus templum aſcendis, multis te ſingultibus coram Diuina affligens maieſtate. vt Anna mater Samuëlis in tabernaculo, flens largiter. Pauperes intuere, hic conſiſtentes, & tuas maximas non eſſe iudicabis tribulationes: quod ſi tibi nauis multis pretioſiſque mercibus grauis demerſa perierit, non ob hoc adeo omnium, vt illi, nudus oberras. Si æger decumbis, non tot vt illi, quos conſpicis, vlceribus plenus. *Communes nobis præceptores, & calamitatum conſolationem per terrarum orbem miſit Deus* D. Chr. Hom. 28. cit. Tom. 5 *pauperes.* (ait D. Chryſoſt.) *Es aliquid præter voluntatem paſſus? Sed tale nihil, quale ille. Erutus eſt oculus tibi. Sed illi duo. Longo morbo laboraſti? Sed ille incurabili. Amiſiſti filios? ſed ille & proprij corporis ſanitatem. Magna mulctatus es mulcta? ſed nondum ad hoc es redactus, vt alterius indigeas. Deo gratias age.* An te quereris deſolatũ, quòd tot Deo effuderis preces, ſed inauditus? Attende quot tibi illi preces, quot proponant lachrimas, ſed nec tu illos eleëmoſynâ vnica conſolaris. *Illos vides in paupertatis camino, & ab omnibus quidem petentes, & à paucis accipientes. Cum orans defeſſus fueris, & non acceperis, cogita quoties audieris pauperem te vocantem, & non exaudiſti, nec tamen ille grauiter tulit* &c. Quartum, vt habeas vnde Deo gratiarum referas actiones. Templum aſcendis Deo benedicturus, ſic poſtulat æquitas: de quibus igitur beneficiis, quæ in domo mea non video? quot in aliis miraris difficultates, tot tibi ſunt Dei beneficiâ, cum illis ipſe te eripuerit, & id nec merearis, nec ſis vicino tuo ſanctior.

Aduertit, D. Aug. quòd in illa aſſertione D. Paulus. *Gratia Dei ſum id quod ſum,* intellexerit quoque, ſecundum regulam philoſophi, negatio-
1. Cor. 15. 10. nem: *Gratia Dei non ſum, quod non ſum.* Non tantùm gratiæ Dei adſcribendum, quod homo ſis, ſanus, diues, potens, indolis inculpatæ, *id quod ſum.* Sed hic quoque ſubintelligitur, quòd per Dei gratiam ac miſericordiam non es, quod ſine illa fores, infidelis, barbarus, claudus, cæcus, ſtultus: non enim ex maſſa tu compactus meliori, aut naturæ nobilioris, quàm Maurus, Arabs, cæcus, inſanus: Dei miſericordiæ tribuendum, quod illi tot immittens afflictiones, alium tot miſeriis obrutum, ac ſuſpirantem affligens, te his omnibus ſeruauerit incolumem. Sano conſilio vſi Iſraelitæ qui dum Pharao eiuſque exercitus maris vndis ſubmergitur, & deperiit infelix, Deo perſonant laudes gratiarum: *Cantemus Domino* &c. Qua de cauſa? *Ingreſſus eſt enim eques Pharao, cum curribus & equitibus eius in mare, & reduxit Dominus ſuper eos aquas maris* &c. *Filij autem Iſrael ambulauerunt per ſiccum in medio eius.* Exo. c. 15. 19. Vna eademque omnes incedentes via, inter ipſos ſtupentes maris fluctus: Hi ſe gaudent euaſiſſe liberos, illi autem ſubmerſi periere. Quod te per eundem mundum cum altero proficiſcente, qui eiuſdem ſit tecum conſors naturæ, eiſdem ſubditus paſſionibus, eadem tu pericula diuitiis affatim abundans, ſalute, honore, deliciis ſatur percurris, ille verò conſumptus inopia plagis, leprâ variiſque contritus miſeriis ingemiſcat: Deo gratias age, in æternum immeritas Dei decanta miſerationes.

Quintum: ex D. Gregor. Niſſen. Conuocat Deus pauperes ad templi ſui ingreſſum, vt tuis 12 ☞
ipſos manibus medium reddat efficax quô quidquid optes, conſequaris. Templum adis oraturus, Deique dona rogaturus: ad hoc enim dedicatur. *Domus mea, domus orationis eſt.* Vis vt te Deus exaudiat? Tu primò pauperem exaudi clamitantem. Petis vt tibi Deus manum porrigat, petita concedens? tu primò tuam exporrige manum, pauperique tribue poſtulata. *In tracta. tu de pauperum amore. Matt. 21. 13.* *Date & dabitur vobis.* Rogas, vt tibi dent alij? tu primò da: Vt grauem enim Spiritus S. reprehendit inurbanitatem, manum extendere vt recipias, & ad dandum colligere. Luc. 6. 38. *Non ſit manus tua porrecta ad accipiendum & ad dandum collecta. Date,* inquit Chriſtus, *& dabitur vobis.* Eccl. 4. 5. Tangit, meâ quidem ſententiâ vetus quoddam myſterium: Deus in tabernaculô ſuo locum ſibi ſtatuit deſignatum, vt qui aliquo indigeret, locum ſciret, eoque tenderet, optata flagitaturus. At quâ figura Deus apparuit? Nullâ, nec voluit, vt eo in loco, quô beneficia ſedebat largiturus, aliquâ eum figurâ formaque depingerent: hoc vnicum iubet, vt ad introitum ſtatueretur lauacrum ſpeculis illuſtre, quô ſeſe templum adiens contemplaretur: quaſi dicat: noſſe deſideras, qualem in domo ſua Deum ſis tibi repertur us? Teipſum prius intuere introeuntem: talem indubiè Deum inuenies, qualis fueris & tu. Si Deum intuearis, ipſe te quoque intuebitur, ſi illum audieris, & ipſe te audiet, ſi illi manum porrexeris, & ipſe ſuam tibi manum explicabit: hoc enim in ſpeculo intueris, quod tibi tale eſt, qualis tu illi. *Cum ſancto*

*ſanctus,*

Pſ.17.27. *ſanctus, eris & cum viro innocente innocens eris, & cum electo electus eris, & cum peruerſo peruerteris.*

D. Avg. Lib Manual c.24. Tom.9. Hinc educit D. Aug hanc propoſitionem: *Qualis apparueris Deo, talis oportet, vt appareat tibi Deus ſuauis & mitis, & multa miſericordia ſuaues, mites, dulces, humiles & miſericordes requirit.* Domine peropto, vt appareat mihi Deus manibus explicatis, vt mihi benignus poſtulata concedat; vocibus meis adſtet apertis auribus, piis oculis, calamitates meas miſericors intueatur. Ad hoc, tu tuas illi protende manus, eius exaudi gemitus, & benigno eum intuere oculô. Vbi eum videro? In paupere.

Matt. c.25.40. *Quamdiu feciſtis ex his fratribus meis minimis mihi feciſtis.* Ad templi ſui introitum ſeſe in vnoquoque eorum tibi exhibet, illum intuere, illum exaudi, illi manus extende liberales *Date & dabitur vobis,* O mentis inops, diues epulo, & quid æquam poſtulas ſitis tuæ remedium? Te pudeat, confundere maledicte, ab eo hanc requirere, quam illi in paupere durus denegaſti: cui nec micam panis, nec aquæ guttam conceſſiſti ſitienti: talem tu tibi Deum inuenias oportet, qualis tu illi fuiſti durus, immiſericors, imitis. Ecce Dei mentem, dum templo ſuo conſecrat pauperes: q. d. manibus tuis trado, & fido menſuram eorum quæ tibi ſunt à me concedenda; Hoc recipies, quod mihi dederis, eoque modô tuus ero, quô tu fueris meus, talis tibi, qualis tu mihi.

Iſa. c.58.7. Ipſum audi Deum: *Frange eſurienti panem tuum & egenos vagoſque indue in domum tuam, cum videris nudum operi eum* &c *Et anteibit faciem tuam iuſtitia tua, & gloria Domini colliget te.*

Matt. c.6.1. Ne inconſideratè hæc verba prætereas: *Anteibit faciem tuam iuſtitia tua.* Iuſtitiam tuam vocat, eleëmoſynam præſtitam pauperi: quo etiam nomine eam Chriſtus inſinuat.

Tract. 2. ar 90. & ſeqq. *Attendite ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus.* Eo quod, ſicut alias expoſuimus: id quod inter cætera fundarè poteſt titulum iuſtitiæ, ſic vt ea talis repetatur, vt quis à Deo quidquid petit, conſequatur, creditur eſſe eleëmoſyna, quam ſi exercuerimus dicere nobis licet, ſicut ad rem congruè dixit D. Petrus Chryſolog.

D. Pet. Chrys. Serm. 39. de perſeuerant. *Redde quod promiſiſti quia feci quod iuſſiſti. tibi credidi dicenti. Date & dabitur vobis.*

☞ 13

III. Extolli-tur bene-ficium dandi eleemo-ſynam. Ornatè de hac re D. Chryſ propoñit, quòd Deus homini maius præſtet beneficium, præcipiendo, vt illi in paupere det eleëmoſynam, quàm ſi traderet illi poteſtatem faciendi miracula, ſuſcitandi mortuos, leproſos mundandi, cœcos illuminandi: quando namque hanc alicui concedit gratiam, qui eam recipit totus ob illam Deo perpetim manet deuinctus, & nouo debito obſtrictus, ob datam ſibi poteſtatem tam eminentem, donumque prorſus ſingulare. Porro cum illam tibi infundit gratiam, quâ illi in paupere effundis eleëmoſynam, Deus (ſi fari ſic liceat) ipſe tibi manet deuinctus, ille tuus debitor, eô quo fieri poteſt modô, Deum noſtrum eſſe debitorem. D. Chry. Hom.7 de pœnit. Tom.5.

*Hic in eleemoſyna beneficium tu Chriſto tribuis: illic in gratia miraculorum, ille tibi. Hic quidem (in ſignis & miraculis dico) debet ipſe Deo, in eleemoſyna verò Deum tibi, facis debitorem: & ſi quid ipſe debes, compenſas.* Iam habes, cur eleëmoſyna vocetur iuſtitia. Addit: *Anteibit faciem tuam iuſtitia tua,* eleëmoſyna tua tibi applanabit viam, ingreſſum tibi concedens, portas aperiens quô ad Deum pertingas ſecurior. Credo alludere ad id, quod frequens eſt, dum Princeps iter arripit periculis latronum, vel hoſtium expoſitum, antecedit Centurio militum caterua ſtipatus, viam reddens peruiam, liberam & ab omni periculo ſecuram. Eheu quàm periculis plenum iter orationis: mille ſe opponunt impedimenta, innumeræ eam perturbant diſtractiones; infinita eam repellunt obſtacula: Quot peccatis implicaris, tot occurrunt repagula orationi ne progrediatur & vt claudicet. *Iniquitatem ſi aſpexi in corde meo, non exaudiet Dominus.* Pſ.65.18. Aperiſſimè hoc Deus per vatem dixit Iſaiam: Iſa.1.15. *Cum multiplicaueritis orationem, non exaudiam: manus enim veſtre ſanguine plena ſunt.* Et per Ezechielem. Ezech.14.4. *Qui poſuerit immunditias ſuas in corde ſuo, ego Dominus reſpondebo ei in multitudine immunditiarum ſuarum.* Præcedat eleëmoſyna, viam adæquabit, tollet repagula offendicula dimouebit. *Anteibit faciem tuam iuſtitia tua.* Memoreris, velim, verba Spiritus S. Prou.21.14. *Munus abſconditum extinguit iram & donum in ſinu indignationem maximam* Iudicem formidas, cum tibi moleſta grauiſque impendeat cauſa, & iuſtè ſit tibi indignatus? Munus abſconditum in ſinu vxoris, vel filiæ. Attende, num ſit familiaris quiſpiam, qui ſecretò dona recipiat, & ſe pomis aureis peti conniueat, hoc modo tibi negotium proſperè cedet ex ſententia. Hoc nobis ſuggerit conſilium Spiritus S. An ſit aliquid quod ſic viam ſternat actori, quod tam apertas ac dilatatas iudicis diſſoluat ianuas, ac munus abſconditum? quando iudex bouem portat in faucibus munera petit largiora, quàm ſecurus viuit, quàm placidus dormit litigans, ſi haſtis pugnauerit argenteis, muneribus iudicem præuenerit auri ſitientem.

Facetam

*Lib. 4 de conſidera ad Eugenium ad medium.* IV. Exemplum.

Facetam narrat hiſtoriam D. Bernard De Cardinale Martino viro non vulgariter ſancto. Ex Dacia legatus reuertitur, tam rerum omnium indigus, vt Florentiam appulſus, præ inopia vltra iter ſuum proſequi prohiberetur. Accurrit ciuitatis Epiſcopus, Cardinali donat equum, quô Piſas tendat, vbi Diuus Bernardus morabatur. Illum ſequenti die inſequitur prædictus Epiſcopus Florentinus, ſibi perſuadens, cum periculoſa lite anxiaretur, & Piſas Cardinalis appuliſſet, eum ſibi fore propitium, quodque iudicium in Epiſcopi proferret fauorem. Adeſt igitur, ſuffragium Cardinalis obnixè poſtulat prædicto munere nixus, Cui Cardinalis prudenter ac pie. Domine Epiſcope, decepiſti me: dum enim equum muneri donaſti, neſciebam tibi imminere negotium, cuius in mea poteſtate ac libero arbitrio eſſet definitiua ſententia; Tolle equum tuum, ecce in ſtabulo eſt, non enim decet iudicem à parte ſuſcipere munera, quæ ſibi debitam impediant auferantque libertatem.

☞ 14 Quocirca inhibuit iudicibus Deus munerum
*Exod. 23. 8* quorumlibet acceptionem: & rationem addit: quia *Munera excæcant prudentes, & ſubuertunt corda iuſtorum.* Id verò quod Deus iudicibus vetat, vt iuſtum ferant iudicium, nec in alteram partem iniuſti declinent, admittit ipſe vt tibi ſit miſericors, qui hoc vult, vt eum muneribus delinias, & petit, vt ſibi des, quibus munera oculos eius excæces, quô tua non videat peccata. Hoc nos docuit Diuus Petrus, exhortatus, vt in quibuſlibet aduerſitatibus ad Deum per preces confugiamus; ſed vt antecedenter operibus cha-
*1. Pet. c. 4. 7.* ritatis, ac elëemoſynis inſiſtamus. *Vigilate in orationibus, ante omnia autem mutuam in vobis metipſis charitatem continuam habentes; quia charitas operit multitudinem peccatorum.* Vtiliter
*Tob. c. 4. 8* monuit Filium ſuum Tobias ſenior. *Ex ſubſtantia tua fac eleemoſynam, & noli auertere faciem tuam ab vllo paupere; ita enim fiet, vt nec à te auertatur facies Domini; quomodo potueris, ita eſto miſericors.* Conſiderandum nobis venit Spiritus S. conſilium: *Initium viæ bonæ facere iu-*
*Prou. c. 16. 5.* *ſtitiam* (id eſt elëemoſynam) *accepta eſt autem apud Deum, magis quàm immolare hoſtias.* Hodie incipite, manum operibus adhibete, tranſite per hoſpitalia oraturi. *Initium viæ bonæ.* His con-
*Tract 2. §. 35. & ſeqq* gruenter aliâs egimus.

*Serm. 8. de ieiun. & eleemoſyn.* Hinc reſultat illa D. P. Chryſolog. doctrina orationem ſine elëemoſyna comparari lampadi oleo vacuæ, aui ſine alis, corpori exanimi: documentum omnibus proficuum: quando enim aduerſitate quadam obrutus, Dei quæris tibi ſubſidium: vel cum peccatis tuis optas miſericordem, primùm quadam elëemoſyna te Dei gratia dignum præpares. Diſponis te faciendæ confeſſioni, quâ remiſſionem à Deo conſequâre peccatorum? Pauperum greges pertranſi, illos tibi concilia. Num ad Sacram Synaxim accedis, quâ tibi Christus nedum corporis ſui ſacratiſſimi dignetur ſacramento, ſed etiam animæ tuæ eiuſdem fructus communicet vberrimos? Antecedat cum pauperibus tuarum opum participatio. An te morbus exhaurit, & aliorum ad Deum pro ſalute tua preces expoſcis mediatrices? Indigentibus tu prius infirmis auxiliare. & hic primum tuæ fige pedem orationis. *Ergo miſericordia indigemus* (ait D. Auguſtinus) *quia per noſtra merita vitam æternam acquirere non valemus. Fac vt proximo miſerearis, nam tantum miſerebitur tibi Deus, quantum & tu miſereberis proximo.* *D. Aug. Ser. 43 ad fratres in Eremo. Tom. 10.*

## §. 5 Multitudo languentium. *Piſcina ſymbolum eſt pœnitentiæ, & tria genera infirmorum, tria ſunt genera peccatorum.*

Conuenientes ſunt hæ rationes coniunctionis piſcinæ cum templo: ſit tamen hæc propoſito noſtro congruentior, quàm prælibauimus; nimirum: vt eſſet columna ac fulcrum quoddam templi forte, robuſtum, quod eius ſuſtineret auctoritatem, fulciret fidem quæ iam corruebat. Præclarum quid hæc eſt piſcina, quandoquidem cœlum ipſum eius tam ſit ſolicitum, & quandam ineat familiaritatem, cum inde deſcendat Angelus, vt aquas eiuſdem commoueat. *Angelus Domini deſcendebat* &c. Ex- ☞ 15
tulit Christus hominis dignitatem (vt notat D. *In c. 18. Matth.*
Hieron.) quia ille ſuæ cæleſtis curiæ Angelos miſit cuſtodes: Attende piſcinæ huius dignitatem, cum qui eam moueat, Angelus ſit, quem adhoc Deus è cœlo delegabat. Inſuper, ex hoc Angelico contactu, tantum hauriebat virtutem vt quamlibet in quolibet ſanaret infirmitatem: *A quacumque infirmitate.* Idcirco tam celebris habebatur, vt ex omni circumiacente regione ad eam omnigeni confluerent infirmi, quibus quinque porticus adiacentes replebantur. Peruulgate eſt inter Doctores, piſcinam hanc ſymbolum eſſe pœnitentiæ, & ſupponit Tertullianus hanc *Tertul. Lib. de Baptiſ.*
regulam: *Figura iſta medicinæ corporalis, ſpiritualem medicinam canebat, eâ forma, qua ſemper carnalia in figura ſpiritualium antecedunt.*

Quare, vt hæc ſit vera piſcinæ, illius in ea requi-

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

requiruntur conditiones. Prima, piſcina hæc Hieroſolymis erat. *Eſt autem Hieroſolymis probatica piſcina*, dum autem per Hieruſalem ſignificat Sanctam Eccleſiam, declarat, veram pœnitentiam qua animæ curantur infirmitates, in ſola Catholica Eccleſia inueniri. Deploret ſua Maurus peccata, pœniteat Arabs, flagris corpus ſuum cædat idololatra, pectora tundat Iudæus, niſi per fidem in Ieſum Chriſtum intrent Eccleſiam, non ſanabuntur, ſed nec minima quidem peccati dimittetur eis infirmitas: in ſola namque Catholica Eccleſia ſanctimonia vera laudeque digna reperitur.

Conſideremus oportet verba quædam Spiritus S. Appellunt ad montem Sinai Iſraelitæ. Iam venit hora, ait Dominus, eos legibus conſtringendi. Quocirca præcipit vt in planitie e regione montis, vbi columna prælucebat, caſtra metarentur. *Ibi Iſrael fixit tentoria e regione montis.* Vocat autem de monte Moyſen, præcipitque Congrega populum dicesque ad eos; *Vos ipſi vidiſtis, quæ fecerim Ægyptiis, quomodo portauerim vos ſuper alas aquilarum, & aſſumpſerim mihi.* Voſque ſemper protector incolumes defenderim. *Si ergo audieritis vocem meam, eritis mihi in peculium de cunctis populis. Mea eſt enim omnis terra. Et vos eritis mihi in regnum ſacerdotale, & gens ſancta.* Notat Caietan. Tria proponit præmia, amoris ſui in populum teſſeram.

*Exod. 19.*

I. *Tria Dei amoris in populum indicia*

Primum, cum tam amplus ſit mundus, cuius Dominus dominium habet vniuerſale, illud ad ſolos Iſraelitas quos ſibi in peculium aſſumit, videtur contraxiſſe. *Eritis mihi in peculium.* In Hebræo lego. *Et eritis mihi amabilitas e cunctis populis.* Vos ſolos diligam, cæteri vero *odio habendi*, reiiciendi ſpurii, vos vero delecti, viſcera mea, cor meum, amor meus. Secundum. *Eritis mihi in regnum ſacerdotale.* In Hebræo ſcribitur. *Et vos eritis mihi regnum ſacerdotum.* En duo; regnum meum, vos enim per meipſum regam; ego vobis leges præſcribam. Hoc namque Deus adeo grauiter accepit, quando in diebus Samuelis regnum regemque ſeditioſi petierunt, qui eos regeret, *Ne regnem ſuper eos.*

*1 Reg. 8.*

Secundum: *Regnum ſacerdotum*; ex hoc enim regno ſacerdotes eligam, qui mei ſint.] Omnes non erunt ſacerdotes, ſed quos elegero de populo meo. Magna dignitas. Tertium. *Gens ſancta.* Hic ſola erit ſanctitas, vitæ innocentia: quia ad hoc requiritur amor Dei, vt Deus vos diligat, & a peccatis emundet, & tantum in Eccleſia vera inuenienda eſt vitæ perfectio, hanc enim ſolam diligit Deus amore amicitiæ & amore paternali vt filium: & ea eſt ſanctitas, quæ fit *Per munditiam a peccato.* In ſola autem Eccleſia talis inuenitur & puritas, & innocentia, ſicut in ea tantum ſacramenta reperias, quæ ab omnigena peccati hominem liberent in munditia.

Eleganter hoc dixit Vates Hieremias ſumpta occaſione beneficii, quo Deus populum ſuum afficeret, cum Babylonica ſoluens ſeruitute, in opulentam reducens terram promiſſionis: tranſit vt præſcius annuntiet beneficium illud ſublime, quo illos Deus peccati ſeruitute liberos, & dæmonum dominio redderet abſolutos, locum in Eccleſia ſua ſancta deſignaret, hanc Eccleſiam vocat: *Pulchritudo iuſtitiæ mons ſanctus.* *Hier. 31. 23.* Legunt alii; *Habitaculum pulchra iuſtitiæ mons ſanctus.* An non hæc Eccleſiæ optima definitio? Mons eſt ſanctus, locus pulchræ iuſtitiæ & pietatis, hoc eſt veræ pœnitentiæ: per quam (teſte Doctore Angelico) fit iuſtitia, per illam ſatisfaciendo peccatorum debitis, quo criminis deletur macula, anima per gratiam pulchra mundaque perficitur. Hæc autem iuſtitia tantummodo in Eccleſia reperitur: *Habitaculum pulchræ iuſtitiæ*; Quocirca quamcumque agant infideles peccatorum pœnitentiam, illa deteſtentur, ieiunent, ſe affligant, & talia operentur, quæ cernimus in Mauris lauatoria & pœnitentias, nullam peccatorum per hæc conſequuntur remiſſionem, ſed nec vel minima deletur criminum fœditas, nec anima mundata Diuinæ redditur accepta maieſtati.

Hinc conuenit id quod cecinit Vates Zacharias D. Ioan. Baptiſtæ pater: *Erexit cornu ſalutis in domo Dauid pueri ſui.* *Luc. 1. 69.* *Cornu*, in ſacris litteris indicat robur ſeu fortitudinem. *Erexit Dominus cornu ſalutis.* O quale robur quam extra ordinarium cornu erexit in Eccleſia pœnitentiæ, nulla ſunt peſſula, nullæ ſeræ etiam fortiſſimæ, quas non perfringat, non comminuat, nec tam profunda abyſſus ne quidem ipſius inferni, vnde non extrahat pœnitentes. Illud vero *Erexit in domo Dauid*, quæ eſt Sancta Eccleſia; *Extra namque Eccleſiam non eſt ſalus.* Hoc (inquit D. Aug.) confiteamur dum dicimus. *Credo ſanctam Eccleſiam Catholicam. Sanctorum communionem, remiſſionem peccatorum:* Communicationem in vna fide, iiſdem ſacramentis, vna lege: Hic Sanctorum eſt communio; ea etenim tantum poteſt eſſe in Eccleſia, quia homines iuſti & ſancti ſunt, per amorem Deique gratiam, & hoc ſolummodo patet in Eccleſia inueniri: Hic tantummodo peccatorũ obtinetur remiſſio: quia ſicut illa non remittuntur, niſi per veram ac

II. *Vis pœnitentiæ.* D. Aug. *Ser. 119. de Temp. Tom. 10.*

viuam fidem Ieſu Chriſti, ſic vbi hæc ſolum inuenitur, & illa quoque reperitur.

Hinc colligitur vera Doctoris Angelici doctrina, Idololatris ac infidelibus, nulla remitti peccata, nec originale nec mortale, nec veniale & ob ea omnia, quæ toto vitæ ſuæ tempore egerint, inferni pœnis cruciandos æternis. *Exod. 25.* Mandat Dominus Moyſi, faciat propitiatorium, quod ſedes ac locus ſit remiſſionis ac miſericordiæ: (tabula erat auro fuluo nimis cooperta, qua Deus ſedens figurabatur) iubet quoque, vt illud ſupra arcam collocet, quaſi eiuſdem arcæ cooperculum, ita proportionatum vt ne atomo quidem latius aut extenſius ſit ipſa arca, qua manna, & tabulæ legis aſſeruabantur. Arca Dei Eccleſiam deſignabat, in qua ſola dulce manna gratiæ Deique amoris aſſeruatur, ita vt, inter Mauros, Arabes, Iudæos, hæreticos, nec vel vnus ſit qui Dei ſit amicus eiuſque gratiæ particeps. Hic ſolum vera viget lex, vera Dei cognitio. *Lib. 18. de Ciuit. c. 45. Agge c. 2. 10.* Hic propitiatorium, locus indulgentiæ, quod nec vel filo extra arcam extenditur: extra quippe Eccleſiam nulla remittuntur peccata, licet minima, ac leuiſſima. Pro huius doctrinæ confirmatione expendit D. Aug. Dei promiſſiones templo iuratas, quas Eccleſiæ tribuimus; *Magna erit gloria domus huius &c. Et dabo pacem in eodem loco.* Magna & excellens erit Eccleſiæ meæ gloria, decor, honor, ipſaque vnica erit, cui remiſſionem, pacemque concedam. Accedit D. Cyprian. teſtis ſecundus plurima percurrens ſacræ paginæ loca, *Lib. de vnit. Eccl.* in quibus de hoc propoſito themate diſputat eleganter.

17 Secundo: Curabat hæc piſcina quaſlibet ægritudines, etiam grauiſſimas & deſperatas. *Sanus fiebat a quacumque detinebatur infirmitate.* Ad eum autem finem, recuperandæ ſcilicet valetudinis, *Iacebat multitudo magna languentium cæcorum, claudorum, aridorum.* Hic veræ effectus eſt pœnitentiæ, omnigenos curat languores peccatorum. O qualem piſcinam, pœnitentiam, in qua ſanus fit quiſque a quacumque detinetur infirmitate: *Erexit cornu ſalutis.* Meminit particulariter Spiritus S. Anæ nepotis Seir Horræi habitatoris regionis, quam poſſedit Eſau: *Gen. 36. 24.* *Iſte eſt Ana, qui inuenit aquas calidas in ſolitudine, cum paſceret aſinos Sebeon patris ſui.* Mirabilis hic notatur connectio; legunt etenim alii: *Equas calidas*; ex copula diuerſorum animalium, aſini & equæ. Mea ſententia, illas hic non inuenit, ex natura enim hæc fuiſſent viſa, & non ex arte. Cornelius dicit quod fuerint balnea, piſcinæ aquæ ſulphureæ, & dum

III. Pœnitentia omnes curat infirmitates.

illam iumenta bibebant, fructum percepit, quo deinceps gauderet ex eo quod illas paſcinas inueniſſet, in ſuorum armentorum emolumentum. Quis explicet fructus vberrimos ex tot lacunis fidelibus prouenientes, quot ſunt in Eccleſia curandis morbis, & infirmitatibus ex peccatis oriundis! Nulla vero talis ciſterna, qualis piſcina pœnitentiæ. *Aquas calidas.* Lachrimas oculis effluentes; *Calidas*, ex corde Diuino amore inſtar fornacis accenſo, bullientes. Hæ namque ab omni criminum labe mundant animam, omnes ſanant infirmitates, quia omnia remittunt genera peccatorum.

Omnia peccata ad tria genera reuocat S. Theologia, his tribus infirmis ſignificata, quos D. Ioannes hic deſcribit: nimirum ignorantiæ, debilitatis, & malitiæ, quæ Origen. docet a Spiritu S. his tribus nominibus indicari: *Infirmi, peccatores, impii.* Infirmi, peccant ex ignorantia: peccatores ex debilitate; impii vero ex malitia. *Lib. 4. in c. 5. Ep. ad Rom.* Legis hic cæcos, claudos, & aridos. Is qui ex ignorantia peccat, cæcus eſt, tam enim cæcus eſt, qui nihil ſcit, quam qui nihil videt: qui ex imbecillitate delinquit claudus habetur. Duos habet homo pedes, carnem & ſpiritum: peccatum imbecillitatis hoc decernitur, quando ex carnis debilitate cadit ſpiritus. *Spiritus quidem promptus eſt, caro autem infirma,* inquit Chriſtus: *Matt. 14. 38.* qui vero peccat ex mala voluntate ſiccus eſt & aridus; eſt enim malitia venenum, cui proprium eſt, exſiccare. Mirare hæc tria genera ab exordio mundi, videntur enim ex eo ſumpſiſſe originem. Eua, Adam, ſerpens. Eua peccauit ex ignorantia, hanc enim ſerpens decepit ac ſeduxit; ipſa teſte; *Serpens decepit me;* & confirmat Apoſtolus; *Gen. 3. 13.* *Eua ſeducta in præuaricatione fuit.* *1. ad Tim. 2. 14.* Adam deliquit ex imbecillitate; non enim ab alio ſeductus, tranſgreſſus eſt. *Adam non eſt ſeductus ſed blanditiis fœmineis compulſus, ſocialis neceſſitudine paruit;* ait D. Auguſtinus ſerpens ex peruerſa peccauit voluntate: *Lib. 14. de Ciui. c. 11. Tom. 5.* nihil enim primario ac directe prætendebat, niſi hominis ruinam, ei nocere, eum perdere. *Inuidia diaboli mors introiuit &c.* D. Ioannes, qui has quinque porticus deſcribit, cæcis, aridis, claudis, languentibuſque refertas, videtur & ipſe has deſignaſſe, quibus totus mundus uppletur; *Totus mundus in maligno poſitus eſt.* *1. Ioan. 5. 19.* Mundus congregationem ſeu Noſocomium benedixeris languentium, quos ad tres ſpecies reducit: *Omne quod eſt in mundo, aut concupiſcentia carnis eſt, aut concupiſcentia oculorum, aut ſuperbia* *1. Ioan. 2. 16.*

vita

*vita.* Inhoneſtos vocaueris cæcos: quam talpa cæcior viuit luxuriis deditus, nocte obambulans & offendens ad illos angulos, petras illas, non attendens quid agat, quid deſideret, quid moliatur: quod ita cedat in ſuæ detrimentum ſalutis, honorum dilapidationem, ac honoris ignominiam. Ipſe de te teſtimonium perhibes ipſe confiteris, poſt quam Diuina te gratia colluſtrante perniciosa illa libido deferbuit. Parcat mihi Deus, quantis tenebris inuolutus vixi. Deum cupidinis, venerisque idolum ipſi Philoſophi cæcum captumque oculis efformarunt; fac conſequentiam, quam non rudes, ſtupidi, cæcique ſint oportet eius ſubditi & ſequaces libidinum.

Perpendunt D. Chryſoſt. & D. Ambroſ. id
18 quod ſacer textus narrat de Sodomitis, quos
Ge.19.11. Deus puniuit cæcitate; *Percuſſi ſunt cæcitate a minimo uſque ad maximum.* Ex ratione (inquiunt) talis enim pœna, tali conuenit culpæ animæ cæcitas corporea cæcitate puniatur. *Mentis*
D. Chryſ. Ho.43 in Gen. To. 1. *eorum oculus excæcatus erat* (ait D. Chryſoſtom.) *propter hoc & viſu priuati ſunt. Oſtenditur quod cæca eſt omnis libido* (inquit D. Ambroſ.) *& quod*
D. Ambr. Lib. 1. de Abrah c.6 Tom. 1. *eſt ante ſe, non videt.* Notat autem D. Auguſtinus a quod hæc talis non eſſet cæcitas, quæ illos omni priuaret viſu, ſed quam Græci vocant ἀορασία quæ ſpecies eſt cæcitatis, qua
a Lib qq. in Gen. q.44. & l.22. de Ciuit. c.19 quis ea quæ habet præ oculis, videt, non tamen ea cognoſcit, nec ab aliis diſcernit, ſicut illi qui miſſi fuerant, vt captiuum ducerent
Luc.24.16 Eliſeum, ita quoque duo illi Chriſti alumni euntes in Emmaus, de quibus D. Luc. *Oculi autem eorum tenebantur, ne eum agnoſcerent.* Licet enim coram haberent ac cernerent, alius tamen quam erat, illis eſſe videbatur. Tali plectebantur cæcitate Sodomitæ, conſona illi qua luxurioſi detinentur: de quo fuſe dicere poſſemus, Cæcitatem & deceptionem, hanc vo-
Iob.31.9. cat Iob; *Si deceptum eſt cor meum ſuper muliere* Duxit vicinus vxorem angelica venuſtate laudandam, & inquietus anxiuſque viuit, amore victus vnius vilis deformiſque mulierculæ. Cæcitas eſt, & cæcos arguit Daniel laſciuos illos molleſque ſeniores, Suſannæ elegantia vultus obcæcatos, quorum alteri hoc exprobat: *Species decepit te.* Hinc talibus lux eſt odioſa, &
Dan.c.13.56. tenebras quærunt. *Oculus adulteri obſeruat caliginem, dicens; non me videbit oculus.* Quid
Iob c.24.15. hoc miramur, oculos habet infectos, *Et oculis ægris odioſa lux.*

Claudi; Conditionem hic attendas honores ambientium: qui ſicut claudus, ſemper huic & illi exhibent reuerentiam, vt ea quæ venantur aſſequantur. Claudus, vt incedat, baculum quærit ſuſtentaculum, ita quoque dignitatum auidi, gratiam aucupantur magnatum, huic tota eorum innititur fiducia. Claudus, ſi pedibus incedat, palam vt talis agnoſcitur, at vero ſi equum conſcendat, ab aliis non diſcernitur. Ecce ille totus effuſus in externas reuerentias, incedens adhuc pedibus, humi obambulans, at ſi equum alicuius aſcendat dignitatis ac gradus eminentioris, quem prætendebat, iam his externis abſtinet obſeruantiis, nec claudus agnoſcitur. Aridi, Nota diuitiarum cupidos. O quam aridum ſiccumque cor auari ſine ſucco pietatis. Quam aridum cor diuitis epulonis, qui Lazaro ne micam quidem panis vult elargiri? Hinc quoque rationem capies, cur loco tormentorum damnatus, flammiſque cruciatus, aquam petat, erat enim hoc eius peccatum, quod auaritia cor eius aridum lanauerit. De amicis ſic conqueritur Iob, quod aruerint vt torrentes: *Tranſierunt ſicut torrens, &c.* Iob 6.15.
Quam edura eſt tellus arida? non eam diſtringit aratrum, non comminuitur ligone, non ſarculo emollitur. Quam obſtipum, lapideumque cor auari, quod nec pauperum clamoribus frangitur, nec indigentium gemitibus cedit, nec viduarum lachrimis emollitur ad compaſſionem *Nihil patiebantur ſuper contritione Ioſeph.* Am.c.6.6
Sunt infirmi illi & quod dolendum dicente Euangeliſta; *Erat multitudo magna;* non tantum multitudo, ſed & magna. Propitius ſit mihi Deus; quam his infirmis ſcatet mundus; 1 Ion.5.19
*Totus mundus in maligno poſitus eſt.* Perambula compita hæc, conſidera curias, attende fora hæc, Illa vidit Aquila cæleſtis, vt modo diximus, & nihil in eis reperit, niſi multitudinem magnam languentium: *Omne quod eſt in mundo aut concupiſcentia carnis eſt &c.* Nec aliud inue-
nit Oſeas propheta: *Maledictum & mendacium, & homicidium & furtum, & adulterium inundauerunt & ſanguis ſanguinem tetigit.* Amos 4.1
Deus immortalis, quæ multitudo tam copioſa? Quid in hac inuenies Republica, niſi libidinem, mollitiem, dolos, odia, murmurationes, ambitionem, auaritiam?



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

§. 6. Qui prior &c. *Diligenter accurrendum, vt Dauid, quando Angeli mouebant pijrorum cacumina.*

n. 19 TErtia conditio: Duo erant neceſſaria ad ſalutem aſſequendam, motus cæli & terræ; de cœlo Angelus mittendus, qui aquas turbaret; de terra, tali homo ſe mouere debebat diligentia, vt omnium primus ſepiſcinæ immergeret, quod ſi moram vel minimam traheret, nequaquam curabatur. Hoc nobis innuit; ad veram pœnitentiam duo requiri, primum ac principale, vt ſalutis originem, motus cœli; quod Deus cor veſtrum moueat, & ſupernaturali ac diuina commotione, illud perturbet, commoueat, illuminet, incitet. Secundum, vt tu exemplo accurras, pœnitentiæ amplectaris opera, lachrimas, confeſſionem, ac ſatisfactionem. Veritas eſt Catholica, quod non quælibet peccata ſanet pœnitentia, ſed illa tantum quæ procedit ex ſupernaturali Diuino inſtinctu quem noſtra ſubſequatur diligentia. Ita eam indicat Hieremias; *Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur.* Hinc viri iuſti tanto anxiantur timore, de ſuorum remiſſione peccatorum; norunt enim, nullam ſine dolore ac contritione ſperandam indulgentiam, nec quemcumque dolorem ſufficere, & non niſi illum, qui ex particulari Spiritus S. motione procedit; qui diuina ſua gratia corda conturbet, incitet, & inflammet; dubii autem hærent, an Deus illis hanc velit dare, non ob ſuæ miſericordiæ defectum, ſed ob eorum demerita. Quare hanc Dauid emiſit vocem, quam tanti facit Apoſtolus: *Hodie ſi vocem eius audieritis, nolite obdurare corda veſtra.* Dei ſi percipis vocem, animæ tuæ interiora penetra, pulſum eius ad cordis tui ianuam perſentiens, quo illud moueat, excitet, conturbet ſubitaneam tibi repræſentans mortem, hiantes fauces inferni, periculum manifeſtum cui exponeris; ilico totis neruis amplectere pœnitentiam.

Thre. c. 5. 21.

Pſal. 94. 8.

n. 20 Vere dixero, quod Dauid acute tangat id, quod ſibi rato quodam contigit ſtratagemate; vt ſacra refert Scriptura. Illuſtres fuere Dauidis victoriæ, eiuſque conflictus celeberrimi. Vt vero in eis felici omine dextroque Deo non aberraret, primum omnium diuinum conſulebat oraculum & priuſquam hoſtium funderet ſanguinem bellator, lachrimas coram Deo fundebat orator. Dubius quondam hæſit, num belli fortunam tentaret, ac fortiſſimam Philiſthynorum manum ſibi occurrentem adoriretur. Rem Dei committit iudicio: Domine, num bellum inferam: Reſpondet Deus: arma cape; *At non aſcendas contra eos, ſed gyra poſt tergum eorum, & venies ad eos ex aduerſo pyrorum. Et cum audieris ſonitum gradientis in cacumine pyrorum, tunc inibis prælium: quia tunc egredietur Dominus ante faciem tuam* &c q. d. Circumi talem & talem mõtem, talem, ac talem pertranſi vallem, ubi pomarium pyris conſitum. Aures arrige, mitram enim cuſtodes meos Angelos, qui commotione pyrorum ſignum edent; quo percepto, vtpote ſubſidii mei ſigno, accingere armis velociter, ne tardaueris, hoſtem aggredere animoſus a tergo exercitus. Quid hoc Domine mi? Tu qui tam facili manu nulloque negotio vales ſuperare numeroſiſſimos exercitus Chaldæorum, Perſarum, Medorum, Græcorum & Romanorum, omniumque quos mundus vidit copioſiſſimos; vnica ac ſimplici tua voluntate, modo Dauidi monita prælegis, & præſcribis ſtratagemata; vt dum tuos percipit Angelos, ſibi auxiliares, pyrorum motores, hoſtibus bellum inferat de victoria ſecurus? Si mittis Angelos tuos manum auxiliarem, quid opus Dauidem hoſtem adoriri.

2. Reg. c. 5. 23.

Quando plurimis poſt hæc annis ipſius Dauidis merito Regi Ezechiæ eiuſdem nepoti, decreueras opitulari, quem copioſa militum corona, Hieroſolymis obſeſſum angebat blaſphemus ille Rex Sennacherib, vnico a te miſſo Angelo, notiſſima potitum victoria recreaſti; ſolus quippe Angelus manum mouit, vnicaque nocte interfecit de exercitu Sennacherib centum octoginta quinque militum millia, quos in cinerem redactos proſtrauit, & circumcirca Hieruſalem eorum diſperſit cadauera: quo rex equorum vngulis ſibi fuga conſuluit, licet autem in regnum proprium confugerit, mortis tamen telum nequiuit euitare, templo enim Deum ſuum Nemroth adorantem, filii gladio patrem interemerunt, cui nec ſacer ille locus præſidio fuit, vt Dei vindicis manus eluderet, quem tot blaſphemiis irritauerat. Modo vero in Dauidis ſubſidium non vnum, ſed plures mittit Angelos, eorumque exercitum copioſum; ad quid præcipit, vt ipſe gladium arripiat, & ſummo ſtudio inuadat inimicos, idque eo agat momento, quo Angeli cacumina tetigerint pyrorum? Sicut illi pyros commouent, an non poſſent perficere reliquum negotium? Poſſent vtique. Voluit autem

4. Reg. cap. 19.

Deus

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Deus in his victoriis de corporalibus inimicis illis præludere, quas de ſpiritualibus, id eſt peccatis, oportet obtinere.

O quantis peccatorum hoſtibus impugnaris, qui te circumcingunt, & ad turpem cogunt ſæpenumero deditionem? Quot libidinum incentiua? quot carnis illecebræ? quot furta crudelia? quot iniuſta lucra? quot ſacrilega periuria? quot murmurationes & detractiones famæ proximi iniurioſæ. Bellum illis indicendum. Ad hoc autem neceſſe eſt, primo, vt Deus comitibus Angelis accurrat, qui moueant, qui fluen a conturbent: ſuis inquam inſpirationibus, correctionibus, Prædicatorum clamoribus, campanarum ſonitu, quo tibi ſuggerat, quod adoleſcentem illum, quem heri optima florentem valetudine es admiratus, mors immatura intercepit, mox ſepeliendum: quod puella tota ciuitate ex egregia forma ſpectabilis, ſæua mortis manu intercepta hinc diſceſſerit. Quando ſentis Deum te vocantem, te commonentem, ad cordis tui januam pulſantem, te redarguentem, ac dicentem; Hominum flagitioſiſſime, caue ne tibi vitæ filum inexſpectato reſcindatur, ne te mors inopina ſubruat: æternas cogita flammas, in tuum ardentes paratasque interitum; quando Dei miniſtros, Prædicatores, Confeſſarios audis admonentes: pacem cum inimicis inito, peccatis ex cordis intimis, & ſeriis propoſitis abſtineto: animæ tuæ ſaluti incumbito: *Hodie ſi vocem eius audieritis, nolite &c.*

I. Deo vocanti cito obſequendum.

Eloquenti facundia agit D. Auguſt. de operariis in vinea: Licet enim fateamur multos pluribus horis perſtitiſſe otioſos, quotquot tamen diurnum denarium receperunt, tales hi omnes fuerunt, vt qua illos hora paterfamilias in vineam miſit operarios, continuo acceſſerint. Nullus eorum dixit: Ibo poſtmodum. *Numquid illi qui ſunt ad vineam conducti, quando ad illos exibat pater familias, vt conduceret, quos inuenit hora tertia, & conduxit, verbi gratia, dixerunt illi, Expecta, non illuc imus, niſi hora ſexta? Aut quos vocauit hora ſexta, dixerunt, non imus niſi hora nona? Aut quos nona inuenit, dixerunt: non imus niſi vndecima?* Præterquirebatur vocatio patrisfamilias, attamen & illud requirebatur, vt nulla interpoſita mora in vineam operarii diſcederent. Hoc quoque (monet) tibi tanti refert ne vocante, trahente, ac monente te Deo ad pœnitentiam in craſtinum, vel in alteram horam differas, cum neſcias, an qui te hac hora vocauit, alia demum hora tardantem ſit vocaturus:

Mat. 21. D. Avg. Ser. 10. de verb. Domini Tom. 10.

Toto ingenio conſiderandum id quod nobis D. Matth. & D. Lucas memoriæ produnt, de Iuuene illo, cui Chriſtus, *Sequere me*, ille vero reſpondit: *Permitte me primum ire & ſepelire patrem meum.* D. Baſil. & D. Chryſoſt. credunt, eadem hora huius adoleſcentis patrem è viuis exceſſiſſe, & quod ideo à Chriſto licentiam petierit, patrem ſepeliendi: q. d. Ne te lædat Domine, ſequar te, verumtamen tantiſper morare, quo patrem meum ſepulturæ tradam, quem annuntiant recens defunctum. Reſpondet Chriſtus: Quando quempiam ego voco, nulla eſt permittenda mora; nec momentum quidem: curam dimitte ſepulturæ, & quidquid hac in occaſione ſeſe tibi offert impedimenti, faciant alii, tu vero ſequere me, quia ad id ego te voco: *Dimitte mortuos ſepelire mortuos ſuos, tu autem ſequere me.*

Mat. 8. 21 Luc. 9. 59. Lib. de conſtitut. Mon. Hom. 28. in Matth.

Quis hoc credat cælorum Domine, quod tu qui tantum filiis patres præcepiſti honorandos, juueni huic id deneges, quod tanti refert, nimirum patris ſepulturam? Nolo, me vocante vllam dilationem interponi, nec vnius diei, imo nec horæ vel momenti remoram: ſi enim exemplo ei non fueris obſecutus, fieri poteſt, vt ipſe tranſeat, & dum peractis negotiis reuerteris eum ſecuturus, haudquaquam inuenias; vt ſponſæ legimus contigiſſe, quæ trahens moram à ſponſo vocata, poſtmodum egreſſa, eum ſe doluit non inueniſſe: *At ille declinauerat atque tranſierat.* Si igitur dum te vocat, nullam admittat procraſtinationem, nec ob id quod jus ipſum pietaſque exigere videntur, prout eſt jus ſepulchri; quàm indigne feret, teipſo judice, quod ſequelam eius ob delicias tuas mundique differas vanitatem? quàm ægrè, quòd te laſciuo amore implices, iniuſtis contractibus impendas, & crudeli vindictæ tradas Dei vocibus inobedientem? Caue, ne dum vocanti non reſpondes, forſitan in tuam illum poſtmodum non videas, non audias, non ſentias damnationem: vt perfidus ille Eſau, de quo D. Paul. *Non inuenit locum pœnitentiæ, quamquam cum lachrimis inquiſiſſet eam.* Illud cras, cras, mundum perdidit vniuerſum. Caue (monet D. Auguſt.) quod ille qui tibi promiſit veniam, ſi mane egeris pœnitentiam, craſtinum tibi non promiſerit, ſed nec vnam horam, ſicut nec illam obtinuit, is de quo memorat D. Gregor. vt dicemus inferius. Sanum hoc approbo conſilium Spiritus S. *Audi fili mi: in omnibus operibus tuis eſto velox.* Diligentia neceſſaria languido apud piſcinam, vt ſanetur, & ea tanta, vt qui eam non

Cant. 5. 6. Heb. 12. 17. §. 18. ſequenti Ecc. 31. 27

adhibuerit, ſpe ſalutis fruſtretur. *Qui prior deſcendiſſet.*

## §. 7. Sanabatur vnus. *Anguſtum remedium, ſaluti corporis non prouidet ſicut animalibus.*

22 HIc piſcinæ effectus, *Sanabatur vnus.* Ignoſcat Deus: quam anguſtum remedium: Infirmi numero multi: *Multitudo magna*, & hoc Deus erigit pharmacopolium, ſuæ poteſtatis ſymbolum; & poſitis omnibus requiſitis vni ſoli paratur valetudo. Si medicus huc ingrederetur, qui ſe medicas herbas ex remotiſſimis Indiæ regionibus ſecum detuliſſe jactaret, & aromatopolium erigeret in ſalutis oſtentationem, & tandem adhibitis omnibus, ſanatoque vnico reſponderet: Iam exhauſta eſt herbarum mearum virtus, Sanè anguſta eſſet hæc herbarum efficacia: quæ ad vnius tantummodo ſalutem reparandam conſtringeretur, Ad vnum autem ſolum curandum, quid opus tot impenſis è tam diſſitis Indiæ regionibus trahere remedium? O medice cæleſtis, qui piſcinam hanc erexiſti, vt ſanitatis pharmacopolium, vt omnibus conſtaret, te poſſe languentibus impertiri ſanitatem, & omnes vis huius confidere efficaciæ, eius conſequendæ ſalutis longanimes expectare, qui vis vt deſcendat Angelus, aquas conturbet, ſtrepitum excitet ac motum, omnes excitentur, & tandem, non niſi ſanatur vnus? Magnum hic capio Myſterium, quod ſcilicet in eo in quo Deus ad noſtrum remedium, contractus nimis eſſe videtur, id nobis ſuppetit, quod magis judicat expedire.

Quis non miretur, quot quantiſque morbis miſer homo affligatur. Omnia ſimul animalia non tot laborant miſeriis, quot ſolus homo. Docent medici hominem trecentis ac pluribus poſſe modis extingui: Quocirca illum philoſophi definierunt: *Animal rationale, mortale*: & licet hoc cognomine, *mortale*, voluerint hominem diſcernere ab Angelo; illum etiam hac differentia diſcernebant ab animalibus: quia nullum eſt animal, quot tot modis ſit mortale. Cum verò ita ſit, alia animalia paucis vexari ægritudinibus, plura illa & efficacia habent remedia, & eorum ſtupidiſſimum nouit quid ſaluti ſuæ maximè conueniat. Nouit ſibi canis lingua ſua mederi, & herbas congruas conquirere, quo ſtomachum leuet: eodem modo felis. Hirundo ſumit chelidonium pullorum ſuorum oculis aperiendis. Aquila, vt oua conſeruet & excludat, lapillum ſibi ex littore Nili adſciſcit: & præcipua remedia nota expertis medicis hauſerunt hi ex animalibus, vt variis exemplis probat D. Ambroſ. Inſuper & illis multi jugas addidit perfectiones, quibus eorum corpora ad longiorem vitam roborantur, quas D. Auguſt. expendit: leuitatem, fortitudinem, viſum, auditum, olfactum, pulchritudinem &c. Homo millenis opprimitur infirmitatibus, & paucis ac inefficacibus gaudet remediis, & quas Deus herbis infudit virtutes, teſte Spiritu S. eas minimè habet expertas; & tandem ex infinitis languentibus, *Sanabatur vnus.* Quid hoc rei Domine? tam liberalis animalibus, & tam parcus homini? Diuino hoc factum conſilio. Creauit Deus animalia hominibus in obſequium, ad hoc autem, maximè illis neceſſaria eſt corporis valetudo, vigor, robur. Non creauit illis Deus corpora, animæ in ſubſidium, ſed è contra animam vt corpori ſeruiret, proinde eorum præcipuum conſiſtit in corporis ſalute: quia illa hominibus creauit officioſa & obſequium quod homo ſibi præſtari ab animalibus opus habet, non eſt quidquam quod ad animas eorum pertinet, ſed ad corporum eorum proprietates, vires, & induſtriam. Tu ipſe conſidera, ad quid tibi ſit equus neceſſarius, bos, aſinus, jumentum.

Lib 3. Exam. c.9. Lib. 8. de Ciuitat.

Attamen hominem creauit Deus, vt ſibi ſeruiret, & hoc præcipuè animæ viribus agendum, & ad hoc plaſmauit illi corpus, quod homini in Dei famulatu auxiliaretur, & animæ ſuis in operationibus adeſſet obſequentiſſimum. 23 Quando verò corpus ad hoc dixeris maximè eſſe diſpoſitum? Quando robuſtum eſt, ſanum, craſſum? Abſit: quin potius tunc præualet, vt orationem impediat, officiat contemplationi, extinguat deuotionem: obeſum enim, ac opiparè farcinatum aptius eſt ſomno, actibus inhoneſtis, quam orationi. De corpore pingui, vigoroſo, ruunt aſcendunt fortiores illæ paſſiones, & nociua deſideria, *Quæ militant aduerſus animam*, & ipſa nos docet experientia: quod *Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum*. Tunc poteſt homo conqueri cum D. Paulo: *Video altam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ.* Dum corpus eſt debile, deciduum, contritum, elumbe: fortis & optimè diſpoſita, viget anima; vt pœnis quas patitur, doloribus quibus cruciatur, morbis quibus affligitur, ad Deum ſurſum feratur, ad illum confugiat, ſe humilem illi ſubiiciat. Hoc D. Paulus in ſe ipſo experiebatur: *Cum*

1. Pet. 2. 11. Gal. 5. 17. Ro. 7. 23.

2.Cor.12. *Cùm infirmor, tunc potens ſum.* Et vero verius
10. eſt quod Deus ait: *Virtus in infirmitate perficitur.*
2.Cor.12. Hac igitur ex ratione corpora noſtra tot obrui
9. vult calamitatibus, vt ſeruiat animæ que ſubii-
ciatur. Homo carnalis, brutum animal, ita te
1.Cor.2, indigitat Apoſtolus, *Animalis homo.* Qui vt
14. animal inſipiens tali viuis anima, quaſi illa
corpori ideo foret infuſa, vt corpori ſubdita
famularetur, corporeis enim rebus omnem ani-
mæ tuæ intendis ſenſum, curam, & laborem:
Iud. v.19 *Animales ſpiritum non habentes,* inquit D. Iudas
Thadæus. Oppoſitum fieri conuenit, ſeruiat
corpus animæ, idcirco autem illud tot obruit
doloribus, tot affligit morbis, & premit miſe-
riis humiliatum; cuius ſanitati tam rara Deus
præparauit remedia, quo videas corpus tibi
eſſe mortale, magis quàm cæteris animali-
bus.

Conſtituit Deus medelam noſtram in mortis
I. conſideratione, & eiuſdem incertæ horæ anxie-
Mortis tate, quæ tibi ſuperueniet inopinata. Maxi-
oblivio- mum hominis damnum, & quod ſolutis habe-
nos red- nis peruerſis ſuis obediat cupiditatibus, origi-
dit ſo- nem ducit, juxta Vatis Regis veriſſimam ſen-
cordes. tentiam ex tranſlatione D. Hieronimi. *Ex eo*
Pſ.82. 4. *quod non recogites de morte ſua.* Cum corpus ge-
ras tot morti dilatatis feneſtris patulumq́, ruinæ
tam vicinum ac perditioni proximum, mortis
obliviſceris, nec eam male ſecurus times, vitæ
tuæ confidis imperterritus, multorum anno-
rum tibi texis telam, & quaſi nullis ſubditus
mutationibus, multorum ſæculorum tibi ad-
ſcribis centurias. Quid ageres ſi ſalute potire-
ris integerrima, ſi multis, & efficacibus gaude-
res remediis ſanandis morbis opportunis? Ni-
hil te doctius, nihil patentius conuincit, quam
tuæ prædicator mortalitatis; corporis infir-
mitas. Quocirca ſic diſponit Deus, vt vix
vllus ſit, qui non vno vel pluribus laboret mor-
bis.

Aliud hic latet: præterquam enim quod
huius piſcinæ tam parcum eſſet remedium, erat
inſuper ſummopere incertum: occultum enim
erat ipſis, tempus aduentus Angelici: & nihil-
ominus, tanto ſtudio omnes adfluebant, tanta
præſtolabantur patientia longanimes, ſuas ex-
pendebant opes, & tempus terebant, multi verò
ſpe ſua fruſtrati deperibant; tales autem indicat
D. Chryſoſt. cæcos ad piſcinam jacentes, qui
Hom. 35. cum aquæ motum cernere non poſſent, nec quâ
in Ioan. viâ ſeſe piſcinæ immergerent, nec priores ac-
cedere, erat illis moraliter loquendo remedium
illud impoſſibile, omnes nihilominus ſperabant
conſequi vel tandem valetudinem: *Expectan-
tium.* Etenim intuitu ſanitatis corporis, ſeu
bonorum temporalium, numquam nos eo-
rum ſpes fatigatos dimittit, & hodiernum
diem, quo optata non conſequimur, craſtino
deludimus, ſed nec grauiſſimis nobis obortis
difficultatibus, deficimus, aut animo deſponde-
mus.

*Multitudo magna conſpectantium.* Quàm pauci 24
concurrunt, curandæ animæ gratiâ: cum tot II.
ac tam efficacia, ei præſentia habeamus animæ Diligen-
remedia, illa flocci pendimus: magnum quid tiores ſu-
& arduum vobis videtur vel vnius diei jeiu- mus ad
nium vel vnicam miſſam audire, vel tantillo corporis
tempore concioni intereſſe: præclarum opus quam
feceris, ſi in criminum tuorum redemptionem animæ
quatuor aſſes expenderis, tantum interim tem- curam.
poris, tot opes, tam patienter pro rebus corpo-
reis prodigè dilapidans. Sapienter cecinit Da- Pſ.61.10
uid: *Verumtamen vani filij hominum, mendaces
filij hominum in ſtateris ſuis.* Appendis in ſtatera
defectum ſalutis corporalis, cui totum ſtudii
tui appendis pondus, bonorum, & poteſtatis:
animæ verò ruinam tam leuiter expendis &
appendis, vt tibi ſufficiens imo ſuperfluum pon-
dus eſſe videatur, vel leuis cura, ſegniſque di-
ligentia: corporis valetudini parua videntur,
aperiones venarum, cauteria, vnctiones, inci-
ſiones, oleum, emplaſtra, ingentes expenſæ,
quibus omnibus, nec ad finem ſalutem obti-
nes tuis jam facultatibus ſpoliatus. Ad ani-
mæ vero æternam ſalutem ſufficere judicas
vnicam confeſſionem & quidem imparatò fa-
ctam, & tali fultam propoſito, quo dicis,
quod poſtmodum vitam circa eius finem in me-
lius ſis correcturus, tempus ſupereſſe, licet
anni multi præterfluant, ſalutis tuæ repara-
tioni.

Hoc admiratur D. Chryſoſtom. *Si in corpore* D. CHRI.
*parum aliquid morbi pulſauerit, ſtatim & medicos* Lib. 1. de
*adhibemus & pecunias profundimus, & omni ob-* compunct.
*ſeruantia quod competit, gerimus. Nec prius ceſſa-* in princ.
*tur, quàm quæ moleſta ſunt, mitigentur: Anima* Tom. 1.
*verò cum quotidie vulneretur, cum per ſingula la-
nietur, vratur, præcipitetur, & modis omnibus per-
eat, nec parua quidem nos pro ea cura ſollicitat.*
Verè *Vani ſunt filij hominum, mendaces filij ho-
minum in ſtateris ſuis.* Omnes conſentiunt,
pluris appendere animæ bona, quàm corporis,
& omni poſtpoſita comparatione morbos ani-
mæ multo eſſe corporis ipſius grauiores, ac
tantum diſtare: quantum differt à corpore
anima & quantumq́ à ſolo cœlum. Poſt hæc
manifeſtum

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

manifeſtum eſt ; difficulter & operoſe corporis bona obtineri, ſalutem, diuitias, honorum gradus adipiſci inexhauſti laboris opus : animæ vero dona, vtpote gratiam, charitatem S. Spiritus, Deum ipſum conſequi, minimo negotio id fieri poteſt. Ad corporis infirmitates curandas Atlante opus eſt, vt patet in frebribus veſtris, podagra, laterum dolore, coxendice, quibus expellendis multo ſudore, labore multo, diſpendiis multis adnitendum, & tandem vix *Sanabatur vnus*. Animæ vero ægritudines quis neſciat, quàm vel vnico digito reparentur, etiam grauiſſimæ. Vnicum verbum *Peccavi Domino* Dauidem dolore illo vehementiſſimo liberauit. Vnico : *Deus propitius eſto mihi peccatori* : reſtauratur Publicanus. Vnico, *Pater peccaui* : Prodigus mortuus reuiuiſcit. Quid igitur cauſæ eſt, quod adeo vecordes curandis animæ morbis, eius saluti conſequendæ, cæli bonis conquirendis inſudemus, tanta vero nos vexet ſolicitudo, tantus exhauriat labor in ægritudinibus corporis medendis, eius ſalutis tam ſtudioſi, quodque tam ſedulo bonorum paucorum adhuc breui pereuntium cumulis aggregandis inuigilemus ? Inique reſpondeamus, nobis ipſis in ſtateris mentimur, *Vani filii ho-*
Iude. 19. *minum, mendaces filii hominum in ſtateris*. Sumus in eo filii Adam terreni animales : *Filii hominum*, tales quales nos deſcribit Iudas Thaddæus: *Animales ſpiritum non habentes*, brutis animalibus ſimiles qui ſpiritum non habent nec aliam ſperant vitam, nec quos ſpiritualia bona vllo modo tangunt, aut mouent, nec animæ ſpiritualium morborum ſolliciti : ſed toti terreni, terrenis, perituris, fallacibus dediti, occupati, inhiantes, *Animales*, ſolum baculum & flagrum, quo latera tunduntur, ſentientes.

Eſt autem id malum adeo inueteratum, vt & ipſi Gentiles hoc aduerterint. Compoſuit Plato librum quo probat, quàm ſint animæ defectus, corporis defectibus grauiores, quem prænotat *Quod grauiores ſint animi morbi, quàm corporis*. Stupebat quoque Cicero, & hanc mo-
Lib. 3. Tuſculan. quæſt. uet quæſtionem. *Quidnam eſſe cauſæ putem, cur, cum conſtemus animo & corpore, corporis curandi, tuendique cauſa quæſita ſit ars, eiuſque vtilitas Deorum inuentioni conſecrata ; animi autem medicina, nec tam deſiderata ſit, antequam inuenta, nec tam culta, poſtquam cognita eſt, nec tam multis grata, & probata, pluribus etiam ſuſpecta, & inuiſa? An quod corporis grauitatem, & dolorem animo iudicamus, animi morbum corpore non ſentimus* ? Si Cicero, & Gentiles, quorum tam ſtupida erat cognitio, & qui tam ignoranter de bonis cæleſtibus ſentiebant, quibus ardenter inhiamus, & de gehennæ tormentis, quæ formidamus, minus recto credebant : ita admirabantur, quod homines tot curis diſtringerentur circa corporis valetudinem, & inertes circa animæ ſalutem torperent, quid nobis incumbit faciendum ? Triginta octo annis hæret hic paralyticus longanimis ob corporis ſanitatem breui perituram. Certum eſt, & dubitat nemo, quod totidem annis ob animæ medicinam non perſeueraret : quidquid enim eius impenditur ſtudio, graue eſt, moleſtum ac diuturnum. Quam breue ſibi videtur tempus comœdiæ, quæ quatuor horis continuatur, vbi tot intercurrunt repræſentationes fictæ, laſciuæ, infructuoſæ ; & quàm protracta cenſetur illa media hora, qua ſacro interes, vbi vere ac realiter repræſentatur ſacrificium valoris infiniti, illud ipſum quod Chriſtus in ara crucis, pro totius mundi ſalute obtulit Patri grauiſſimum. Quàm graue tibi cui eſt impoſitum vnius horæ tempus concionis, & quadraginta, quas luſibus conſumis, horæ vix iudicas momentum ſubitò elapſum. Malum, quod à multis annis deplora-
Hom. 4. in Gen. Tom. 1. uit D. Chryſoſtomus, has expendens rationes. Quod hic in Eccleſia cuncta veſtræ ſeruiant commoditati, hyeme namque contra frigus, æſtate contra ſolis æſtuantis ardores protegimini, &c. Illic autem mille patimini incommoda ſolis, caloris, ventorum, pluuiæ, in taurorum lucta, & concurſu, & nihilominus omnia perplacent. *Hic quidem ſi paulo prolixius docemus, multi ſuccenſent, & ægrè ferunt, & infirmitatem corporis, & labores prætexunt, licet admirabile huius templi tectum multum ſoletur ; illic verò licet compluantur, à ventis vexentur, & calore ſolis aliquando æſtuent, non vnam neque duas tantùm horas, ſed bonam diei partem verſantur, & neque ſenex canes ſuos reueretur, &c.*

## §. 8. Erat homo &c. *Corpus non ſanabatur, ſi cui erat anima infirma ; nec mare ſedabatur, Iona naui non eiecto.*

SI multa conſideranda ſint in hac piſcina, non ſunt minora perpendenda in ipſo infirmo, 25
qui de multitudine illa magna vnus erat. *Erat ibi homo triginta & octo annos habens in infirmitate ſua*. Parcat mihi Deus : quæ hæc tam diuturna triginta & octo annorum infirmitas? Quis dubitat, quin homo iſte vſus fuerit in ſui

curationem

curationem infinitis propè dixerint remediis, balneis, apertione venarum, purgationibus, emplaſtris, & hæc nihil illi profuerunt? ne mitteris; numquam enim cauſam abſtulit infirmitatis, nec eiuſdem radicem euulſit. Iam ſanato Chriſtus ei declarauit, paralyſim ex eius peccatis ſumpſiſſe originem, quam ipſe nec aduertebat nec à ſe repellere ſatagebat. Certum erat, non curandam hanc infirmitatem, quamdiu enim peccatum non expelleretur, nec ipſa pelleretur infirmitas. Notat Spiritus ſanctus filios Prophetarum acceſſiſſe Eliſeum exponentes ei, qua ciuitas Hiericho calamitate laboraret: *Aquæ peſſimæ ſunt, & terra ſterilis.* Obdulcat illas propheta ſale: ſed non hoc agit in ipſis præterfluentibus aquis, ſed ad fontem tendit, vndè ſcaturiebant, illi ſalem iniecit, quo fluenta reddidit ſuauiora, parum enim prodeſſet, cum vellet amaras aquas obdulcare, fontem ipſum non curare, vnde illæ ſcaturiebant, nec eiuſdem tollere amaritudinem, vnde aquæ inficiebantur. Peccatum radix eſt, & origo amaritudinis omnium noſtrarum actionum: *Radix germinans fel & amaritudinem.* Ait Moyſes; & poſt eum Hierem. *O quam malum & amarum eſt reliquiſſe te Dominum.* Ex peccato, amaritudines in hac vitâ immenſæ & in altera quales nemo dixerit. Amaritudinum cura ſcaturiginem, fonti ſal iniice pœnitentiæ, dimittatur ex toto peccatum, radicitus euellatur: non enim morbus deſinet, ſi ipſum peccatum non deſtruatur.

*4. Reg. 2.*

*Deut. 29. 18.*

*Hier. 2. 19.*

I. Similitudo.

Febri ardentiſſima decumbit alter, ex obſtructione ſtomachi, eo quod ſumptos cibos non poſſit digerere: labor fruſtraneus eſt, velle febrim tollere, quo tempore cibus ille, febris cauſa, foras non egeritur. Multis ob crimina ſua decumbentibus, dicere poſſemus, id quod Dominus olim ciuitati Ægypti, quam punire manu Babyloniorum decreuerat, cum ciues eius iam ſibi imminentem ſentirent pœnam, remedia quærebant quibus liberarentur, peccatis tamen ſuis inhærebant obdurati. Illis loquitur Dominus ſub perſona puellæ, quæ potu nimio repleta, remedium quærebat euacuandi ſtomachum & liberè, ac indolenter reſpirandi, oppilatis interim venis & liene ex potu congelato: *Aſcende in Galaad, & tolle reſinam, virgo filia Ægypti; fruſtra medicamina multiplicas, ſanitas non erit tibi.* O paupercula, ſtultam te redarguo, dum reſinam quæris Galaad, & Indiarum arundines, diuerſaque morbis tuis medicamina: operam oleumque perdis, niſi radicem euulſeris, ex qua tibi naſcitur ægritudo, & illa prouenit quâ ab hoſtibus premeris calamitas. Quid inde tibi emolumenti, quis fructus, quid hinc inde conquiris, vt tuis te liberes miſeriis, remedia, ſi non radicem tuleris, reſecaueris funditus, peccata tua correxeris ob quæ te Deus his anguſtiis premit bene meritum & impœnitentem: *Fruſtra medicamina multiplicas, ſanitas non erit tibi.* Vnde illis mala hæc, ignorant.

*Hier. c. 46. 11.*

Quando conuertit Moyſes aquas in ſanguinem, vnde tanta terræ corruptio, perſenſerunt ſuam Ægyptij calamitatem, proinde puteos foderunt ad crepidinem fluuij, vt viderent num ex iis aqua limpida ebulliret: *Foderunt autem omnes Ægyptij per circuitum fluminis aquam vt biberent; non enim poterant bibere aquam fluminis.* Fodiebant lacunas, vt enim erat terra humida, ilico reperiebant venas aquarum. O mentis inopes, qui non attenditis, plagam hanc ictum eſſe virgæ Diuinæ, licet enim Aaron aquas percuſſiſſe videatur, ipſe tamen Deus eſt, qui ait? *Ecce percutiam virgâ, quæ in manu tua eſt.* Sed infelix Pharao: *Induratum eſt cor eius. Conuertit ſe & ingreſſus eſt Domum ſuam, nec appoſuit cor etiam hac vice.* Quàm ſæua tibi Deus frater mi, infligit verbera virgâ ſuâ: morborũ, tribulationũ, teſtiũ, litium, quæ in te ſuſcitantur, ſed nec aduertis, quæ tanti ſit mali ſcatebra.

*Exod. c. 7. 24.*

Quoties tibi contigit, id quod notat D. Hieron. nautis cum Iona eadem vectis naui, contigiſſe: Tempeſtas oritur, ſæuit mare, fluctus mittit in nauim, ad ima deprimit, omnes ſpem abiiciunt, nullus ſibi fidit. Credebant autem ex cauſis oriri naturalibus, & communibus, proinde ad remedia recurrunt ordinaria nauim alleuiant, merces eiiciunt, & quidquid nauim arbitrabantur onerare. *Miſerunt vaſa, quæ erant in naui in mare, vt alleuiaretur ab eis.* Nec aduertebant ignorantes, hanc à Deo miſſam tempeſtatem ex animi ſui propoſito, & nauim tantis detineri periculis expoſitã iam ſubmergendam, mercium oneribus non imputandum, ſed peccato Ionæ fugientis à facie Domini, qui in naui ſopore graui incuriis deprimebatur. *Arbitrantur nauim ſolito onere prægrauari, & non intelligunt, totum pondus eſſe fugitiui Prophetæ. Nihil enim peccato eſt grauius. Solidiſſimi ſunt cœli, & quaſi ære fuſi, & non potuerunt illud ſuſtinere,* ait D. Hieronym. Si pondus, quod nauim ad profunda declinat, pondus eſt peccatoris, quanto tempore illud in mare non præcipitatur pereundum, telas texis aranearum. Ita quoque fit, oritur tempeſtas ægritudinis, quæ tui nauiculam corporis tantis agitat procellis, vt

D. Hier.

*Ion. 1. 5.*

D. Hier. In c. 1. Ion. Tom. 5.

*Hieron. Lanuza Bapt. de Tom. I.*



meritò

meritò eius timeas naufragium , & cogites de
ſepulchro. Hoc tibi perſuades inde oriri, quod
neſcio quid comederis , plus æquo biberis, ſto-
machus infrigidetur , ventus te inuaſerit borea-
lis, his ita poſitis , vnice laboras nauim exone-
rare, purgationibus, euacuationibus , venarum
apertione. O chariſſime , non hoc te premit,
nam illud pondus , quo ad inferna deprimeris,
peccatum eſt, quod te graui nimium ſopore de-
preſſum in interiori conſcientiæ tuæ detinet ſo-
cordem , tui immemorem & à Deo fugitiuum.
Expelle peccatum, eo expulſo pelletur & ægri-
tudo. Quocirca notum tibi ſit corporis infir-
mitates , ex animæ prouenire ſceleribus. Vnde
Oſeas » *Reſpondebit arrogantia Iſrael in facie eius.* Sæpe
c.5.5. » numero extrahunt medici humorem peccan-
» tem , ex corporis viſceribus : quid inde mali ſi
» ibidem remaneret non extractus ? Axioma eſt
» certiſſimum, quod morbus ingraueſceret, quem
Sabbato » curare illis foret impoſſibile , non prius extra-
de Adul » cto humore illo pernicioſo. Hoc ipſum Deus
tera. » agit : vt ſignat D. Gregor. Nyſſen. & latius ex-
n.8. » ponemus infra.

Capita conferebant tempore Hieremiæ Hie-
roſolymitæ ob tempeſtates contra Hieruſalem
exſurgentes : tempeſtas erat famis , tempeſtas
peſtis tempeſtas inimicorum , tempeſtas bello-
rum; diſcurrunt viri ſapientiores, cauſas inqui-
runt , & de conuenienti remedio conſulentibus
Tren.3.40 reſpondet Propheta, à ſcopo aberratis: deliratis:
*Scrutemur vias noſtras, & quæramus.* Scrutemini
conſcientias veſtras , veram cauſam inquirite;
illic eam detegetis; ſi vero illam non expellatis,
non curabimini, fruſtra huc aut illuc proficiſci-
mini. Hoc ego vobis quoque denuntio. Num te
grauis vrget calamitas ? te moleſta vexat infir-
mitas ? ſcrutare conſcientiam tuam, pectoris in-
tima reuolue , num affectu forte quodam inho-
neſto deturparis , num in familiari colloquio
proximum offendiſti , num pauperem inhonora-
ſti , num alium ſine cauſa conuitiis appetiſti,
num muneri tuo defuiſti ? nihil enim horum tibi
Iob c.5.6. perſuade contigiſſe inaduertenter, omne Quare
habet ſuum Quia . *Nihil in terra ſine cauſa fit,
& de humo non oritur dolor.* Dolor non oritur
de terra , neque rupibus , neque ex aëre : eius
datur cauſa , & auctor : ita vt dum mala ingra-
ueſcunt, & irruunt, dum nos infeſtant aduerſi-
tates; auctorem habent , nempe Deum. *Si eſt
malum in ciuitate, quod Dominus non fecerit.* Hoc
Amos c.3. quoque ſcias obſecro, nullum à Deo emitti ſpi-
67. culum, niſi vrgenti ratione, & ex particulari ſua
intentione. Ita nobis aſſeruit vates Habacuc:
*Sol & luna ſteterunt in habitaculo ſuo, in luce ſa-* Abac.3.
*gittarum tuarum ibunt , in ſplendore fulgurantis* 11.
*haſtæ tuæ.* Faces ſunt ſol & luna , cum illumi-
nantes qui ſagittam glandemue iaculatur. Do-
mine ſol & luna immota conſiſtunt , clariſſi-
moſque lucis emittunt radios , ne ſpicula tua
in aere, ſeu caſualiter , & incerto euentu emit-
tantur , nec lanceam tuam contorqueas , niſi
præuiſo , quem qua ratione ferias : nec enim
cogitare fas eſt, dolorem te torquentem caſu ac-
cidiſſe, fortuitam eſſe febrim; ſagitta eſt , quam
euibrat Deus, & comite clara luce , qua proui-
det, & illam ſua diſponit diuina ſapientia. Dum
te ſenſeris vulneratum , teipſum perſcrutare, & te
totum circumſpice : vitam tuam perpende, tuos
rimare actus , tuos ad memoriam reuoca mo-
dos agendi , & eorum inuenies iuſtiſſimam
rationem. *Scrutemur vias noſtras , & quæra-
mus.*

### §. 9. *D. Ephrem oſtendit Deus , quòd labores immittit ob peccata vel oblita vel non notata ſicut huic.*

Mirandam vobis profero hiſtoriam , quam
de ſeipſo memorat D. Ephrem Diaconus 26
Syrus: *a* cuius D. Baſil. *b* admiratur ſa- D. Eph.
pientiam. Et D. Hieronym. *c* aſſerit eius ſcripta 1.
publice in Eccleſia prælegi, vt ſacra, poſt S. Scri- Exem-
pturam, canonicos ac diuinos libros. Iuuenis plum.
miſſus eſt à parente ſuo foras, & ſyluas pertran- a *Narra-*
ſiens occurrit vaccæ prægnanti , qui vt erat le- *tione ad*
uiuſculus, illam lapidibus appetiit , incitauit ad *Monachos*
curſum, protraxit , vt tandem, abortum paſſa, *de ſua*
mortua corruerit. Illico offendit Dominum *conuerſio-*
vaccæ , cui de vacca interroganti , conuitiis ac *ne p.261.*
dicteriis ita reſpondet petulanter , vt miſer ho- b *Hom.2.*
muncio demiſſo capite confuſus abierit. Hoc *in Hexa.*
egit Ephrem, nec eius facinoris recordatur , vt c *Lib. de*
familiare eſt iuuenibus diſcolis ac immorigeris. *Scriptorib.*
Poſtmodum denuo à parentibus emiſſus noctu *Eccl. Vide*
inter dumeta, & ſaltus diuagatur , inops conſi- *Gerard.*
lii , tandem ad paſtorum diuertit tugurium , à *Voſſium*
quibus nocte illa exceptus obdormiuit. Intem- *eius ſcho-*
peſtæ noctis hora, ecce lupi diripiunt gregem. *liaſtem*
Paſtores eos latrones eſſe crediderunt , quorum *Epiſt. ad*
auſpicem D. Ephrem accuſarunt, in eum inſur- *Sixtum.*
gunt, iudici deferunt , in vincula miſer conijci-
tur. Totis neruis intendebat hic ſuam probare
innocentiam, ſe facti ignorantem, nec latronum
ducem, nec de iis quidquam ſcire , qui gregem
perturbarant , nec alicuius rei fuiſſe conſcium,

at parieti loquebatur. Quadraginta dies peregit in vinculis, vbi & alii duo vincti tenebantur, quorum alterum homicidii, alterum adulterii accuſabant. Cum verò Ephrem animo langueret, & tam diuturni eum tæderet carceris, innocens, vt ſibi blandiebatur, media nocte apparuit ei dum ſomnum caperet vir adſpectu graui, mœſtumque interrogat. Dicito mihi, ô Ephrem, ob quamnam hic detineris culpam? quod tuum illud crimen, de quo accuſaris. Domine ob teſtimonium contra me prolatum, at omnium falſiſſimum, quod latrones ad ouium gregem prænius duxerim diripiendum: & quantumlibet me coner probare ſceleris innoxium, nihil ago. Cui alter, fateor vera eſſe quæ profers, nec eius criminis te eſſe reum: attamen non recordaris quod præteritis hiſce diebus prægnantem hominis pauperculi vaccam occidiſti? Illam interemiſti, hominem maledictis & iniuriis excepiſti, num damna compenſaſti? Num eius ſceleris condignam egiſti pœnitentiam? num illata damna pauperculo reſarciſti? Scito igitur, hanc tuæ cauſſam eſſe incarcerationis, quam Dei prouida diſpoſuit juſtitia, & quamdiu ad illam non confugeris, fruſtra laboras dum huic judici ſtudes reſpondere. Vt vero huius te facias certiorem, vade & iſtorum, quos concaptiuos habes, culpam ob quam detinentur inquire; eorum mores actuſque cum illis perſcrutare. Conuenit illos Ephrem, cauſam quærit vinculorum. Reſpondet primus, ob mihi imputatum homicidium, cuius ne quidem leuiſſimam cogitationem aut culpam noui, totus innocens. Alter ob patratum adulterium, & alterius vxorem violatam, cuius nec quidem vnquam in mentem venit vel minimum propoſitum. Subſiſtite paulisper, ait Ephrem, placeat vobis, vt mores veſtros ac vitam perſcrutemur. Num quidquam contra Deum, vel proximum admiſiſtis, cuius non pœnituiſtis vel pro quo non ſatisfeciſtis? Reſpondet inſimulatus homicidii: nihil cauſæ in me reperio: illius tantummodo recordor; dum circa fluuium obambularem, duo ecce inter ſe altercantur, quorum vnus alterum in præterlabentem demerſit; hic præceps in fluuium deiectus, manum ſupplex petita me auxiliarem: poteram equidem eum mortis periculis eripere, & nolui, cumque perire permiſi nolens auxiliari; nec alterius criminis memini. Alter adulterii reus citatus reſpondet, in mentem venit me ab annis aliquot, pecunia ductum falſum dixiſſe teſtimonium in cauſa adulterii: cuius duo fratres ſororem arguebant, vt in eius ſuccederent hereditatem; nec illius vnquam me pœnituit. Elapſis aliquot diebus, redit prædictus vir ille modeſtia venerabilis, apparet Ephrem aitque. In iſto jam tibi conſtabit Diuinæ juſtitiæ æquiſſimus procedendi modus, qui nullum dimittit peccatum impunitum, & ſæpe ſæpius aduerſitatibus plectit ob peccata, non caſtigata, ac oblita, & inaniter iis ſe deſudant liberare, quamdiu pectore illa gerunt ſcelera, quæ horum ſunt ratio ſuppliciorum. Licet enim hi non ſint illius criminis rei, ob quod in vincula conniciuntur, eius tamen ſunt, quod non aduerterunt, & tibi confeſſi ſunt: & illud eos crimen detinet captiuos & afflictos, ob quod & punientur, ſicut & punitos refert eo modo quo ibidem narrat idem D. Ephrem diaconus.

Quantis curis anxius, quot preſſuris afflictus miſer Saul: ex parte vna in eum manum mouet Philiſthæus, ex parte altera deficiunt ei vires, exercitus conſilium: ad vnam, ad alteram, ad dexteram, ad ſiniſtram manum reflectit oculos, vt ſibi quærat infelix ſubſidium. *Coarctor nimis*, Conqueritur Samueli reſuſcitato. Cui ille: Malo ſidere nate, quid deforis tui cauſam quæris laboris: perfode conſcientiæ parietem, intima cordis tui rimare: & quod tu minimum negligis, illud tibi maximè bellum mouet, & huius afflictionis tuæ nulla alia allegandaratio, niſi quod à paucis diebus commiſiſti delictum, & cuius immemor non pœnituiſti. Hæc omnia venerunt tibi: *Quia non obediſti voci Domini, neque feciſti iram furoris eius in Amalec: idcircoquod pateris fecit tibi Dominus hodie.* Num eius peccati te pœnituit? num Deo ſatisfeciſti? num veniam rogare ſollicitus intendiſti? peccata tua obliuione voluntaria contriuiſti, at non Deus, qui juſtus eſt, nec crimina ſuffert impunita; ea tu ſpontaneo non deleuiſti ſupplicio, Deus vero dignis plectet pœnis. Hinc illæ lachrimæ, tribulatio illa, noxæ tuæ conueniens juſta Dei in te vindicta.

*1. Reg. 28. 18.*

Venit Nabuzardam Magiſter militiæ Regis Nabuchodonoſor, obſedit Hieruſalem, cepit Sedeciam regem, principes filios regis, quos in conſpectu patris jugulauit, patri regi oculos eruit, & catenis vinctum captiuum duxit in Babyloniam: ipſe vero Rex & Principes eius, nullo modo capiebant: quænam eſſe poſſet tanti cauſa mali, cum tamen adeo cunctis eſſet

perſpicua, nimirum propter eorum grauiſſima ſcelera, quæ illi poſt tergum reiecerant, vt & ipſe Nabuzardan licet gentilis & idolatra, eam eſſe cauſam intelligeret. Vnde & ait. *Quia peccaſtis Domino, & non audiſtis vocem eius, factus eſt vobis ſermo hic.* (Hier. cap. 40. 3.) Rimare conſcientiam tuam, quando fortunâ premeris aduerſâ, morbis atteteris, & vitæ tuæ conſidera rationem. Attende num in iſto negotio pauperem decepiſti, num ea quæ tui muneris erant, diligenter es executus, num injuriæ conuitiiſque proximi tui ſatisfeciſti. Num in carne tua commiſſum luxuriæ peccatum ſeuera es vltus caſtigatione: num illatam infamiam maledicâ tuâ linguâ, & ſcandaloſis detractionibus redintegraſti.

Ita piè fecerunt fratres Ioſeph, dum illis inexſpectata ſuperuenit tribulatio tanta, quâ ab ipſo Ioſeph vt terræ exploratores arguebantur antequam illi agnoſcerent, vnde hæc illorum erat confeſſio peccatorum: *Meritò hæc patimur: quia peccauimus in fratrem noſtrum.* (Gen. 42. 21.) Iam plus quindecim anni elapſi erant, à commiſſo illo in fratrem ſcelere venditionis, & ſibi perſuadent, hanc tribulationem obortam, eius eſſe effectum, & ex iſto puluere tale lutum condenſari. Sagaciter egit Dauid; ſe refert ab inimicis circumcinctum, præcipuè tamen falſis teſtibus accuſatum *Surgentes teſtes iniqui, quæ ignorabam, interrogabant me.* (Pſ. 34. 11.) Quid eum egiſſe arbitraris? Aſperum induit cilicium, rigidum amplexus eſt jeiunium: *Ego autem cum mihi moleſti eſſent, induebar cilicio, humiliabam in jeiunio animam meam, &c.* Quid hoc cum altero conuenit? an non expediret quærere & alios adducere teſtes in tui cautionem? An non ſanioris eſſet conſilii probare contrarium? O Regem ſapientiſſimum! Prudenter intelligebat ex peccatis ſuis hæc omnia ſcaturire, quæ his Deus puniebat calamitatibus ad eorum expiationem, pœnitentiæ & mortificationis ac jeiuniorum aſſumit opera voluntarius. Conueniens eſſet, tu quoque illum imitareris, Noueris peccatum eſſe, radicem peruerſam: *Radix germinans fel, & amaritudinem,* ait Moyſes. (Deut. 29.) Semen eſt dolorum aduerſitatumque germen inauſpicatum: *Qui ſeminant dolores.* (Iob. c. 4. 8.) Vepres, & carduos ſeminaſti? quid conquereris, quid admiraris te nihil minus cogitante, germinari tribulos animam tuam vlcerantes? Exſcinde radicem, & ramos ex ea cito abſtuleris pullulantes; ſemen tolle, & zizania tolles ex ipſis oritura.

§. 10. Triginta & octo annos. *Ad triginta & octo annorum paralyſim, leuiora ſufficiunt delicta.*

OBiicies, ſi paralyſim homo ille ob peccata ſua merito patiebatur, quis non hæc fuiſſe grauia imo & grauiſſima judicabit? 28
cum & ipſe morbus paralyſis fuerit triginta & octo annorum. Reſpondeo, ſic fieri potuiſſe, licet delicta fuiſſent adoleſcentiæ. Si enim hæc commiſſa fuerint ante paralyſim, jam ante triginta & octo annos illa patrauerat, ſed nec ipſe nobis ætatis fuiſſe decrepitæ deſcribitur: ſæpe enim in iuuenibus primæ lanuginis, crimina maximæ libertatis, & impudentiſſima reprehenduntur. In puerulo quinquenni tanta morum peruerſitas, & effuſa blaſphemiarum inſolentia fuiſſe culpatur, vt eum de ſinu patris, ipſo ſpectante dæmones euulſerint cruciandum, referente D. Gregor. (Lib. 4. dialo. c. 18.) Nihilominus hoc aſſero, non neceſſario ſequi, quia grauiſſima fuit infirmitas; eius fuiſſe peccata grauiſſima: eſt enim peccatum radix adeo peruerſa, ſemen adeo pernicioſum, vt etiam minimum ſufficiat ad producendos dolores, labores, morbos graues: & quotquot dari poſſunt condignum non ſunt vel minimo peccato ſupplicium. De nuce, quam palmo concludis naſcitur arbor inſtar montis condenſa, altiſſima. De grano ſinapis vix diuiſibili exſurgit planta vt pinus. Huic conſonum edidit tractatum D. Chryſoſtom. vbi hiſtoriam vxoris Lot explanat, quam Deus tam horribili ac memorabili puniuit ſupplicio, vt eam in ſtatuam ſalis tranſmutarit: quæ ratio? (Ser. de leuium peccator pericula, To. 5.) Num cædium rea? num via præſtigiis? num altaria profanauit? Num idola venerata? num viro fœdifraga? Nequaquam, hoc ſolum egit: oculos ad ciuitatem, vnde fuerat egreſſa retorſit curioſa: res erat nihili, curioſitati mulierum familiaris, velle videre; quod Spiritus S. vt rem incredibilem ſupponit; *Incredibilis animæ. Stans figmentum.* (Sap. 10. 7.)

Alium lego in D. Auguſtin. tractatum, vbi rationem exponit, cur Deus permiſerit tot calamitatibus laboribuſque agitari ſibi chariſſimum, fidelemque amicum Iacob, in his, quæ Ioſeph filio ſuo aduerſa contigerunt. (Ser. 81. de temp.) (I. Iacob ob leuia peccata punitur.) O quale tormentum, dum ei illa quam texuerat tunica defertur ſanguine hœdino purpurata, cui imponitur, & credit, à feris filium deuoratum: tantuſque paterna viſcera mœror abſumpſit,

vt neq.

vt nec admitteret nec inueniret tanto dolori le-
niendo rationem, proinde cunctos vitæ dies in
perpetuo luctu, & funebri traduxit lamentatio-
ne, mortiſq; Ioſeph planctu amariſſimo. Quin-
decim annis elapſis creatur a Pharaone Ioſeph
Prorex Ægypti. Stupet D. Auguſtin. quod to-
to illo tempore intermedio numquam Ioſeph
patri ſuo de vitæ ſalutiſque incolumitate renun-
tiauerit, cum ipſe patris perſpectum haberet
luctum nulloque negotio potuiſſet hoc ipſum in-
dicare, iam ad ſummum honoris culmem eue-
ctus, vel curſorem litteris instructum tranſmit-
tere. nihil tamen horum, quinimo ſe continuit,
nihil ſcripſit.; antequam vero ſe fratribus, quis
eſſet, intimaret, tot pater interim obruitur an-
guſtiis. Domine, cur tam amaris amicum
tuum Iacob crucias doloribus, afflictionibus,
iiſque tam diuturnis? An non vir pius tam non
tuus familiaris? Tu dicis: attamen aliquibus
peccatis erat obnoxius leuioribus (reſpondet D.
Pſal. 98. 8 Auguſtinus) Et peccatum veniale etiam leuiſſi-
mum pœnam meretur, ad minus viginti anno-
rum & maiorem.

29 Idem appendit in ſtatera delictum Moyſi &
II. Aaronis, illudque adeo leue, vt acutiſſimo ſuo
Pariter illud oculo Sancti vix percipiant: & ad ſum-
Moyſes & mum hoc eſſe potuit, quod ad petram acceſſe-
Aaron. rint, non tantis fiduciæ de Dei verbo ſignis
exhibitis, vt fides exigebat. Hanc eorum
diffidentiam puniit Deus hac pœna, ne ter-
ram ingrederentur promiſſionis, amboque
prius morerentur, vnus in monte Hor, alter
in monte Nebo. Hoc Dauid expendit; *Moy-
ſes & Aaron in Sacerdotibus eius.* Erant Dei Sa-
cerdotes, amici chariſſimi, familiares intimi,
nihilominus tam ſeuere eorum caſtigauit deli-
Pſal. 98. 8 cta leuiora; *Domine Deus noſter tu exaudiebas
eos, Deus tu propitius fuiſti eis, & vlciſcens in om-
nes adinuentiones eorum.* Nota illud; *In omnes
adinuentiones eorum.* Ne vel minimam cogita-
tionem, aut vanam imaginationem, aut otio-
ſum verbum omiſit grauiſſime non punitum.
Talibus peccatis tanta mulcta & quidem mor-
tis?

David ob commiſſum adulterium, eique
iunctum homicidium, licet ei culpa fuerit di-
miſſa, audieritque ex ore Nathan: *Dominus*
2. Reg. 12. 13. *tranſtulit peccatum tuum;* nihilominus toto
quo vixit tempore, numquam ei defuit dolor
acerbior. Quatuor filios luxit morte abſump-
tos; idque iuxta a ſe prolatam ſententiam: *Ouem
reddet in quadruplum.* Ex eorum numero Ab-
ſalon in eum bella mouet, Hieruſalem profu-
gum expellit; impleturque illa Dei commina-
tiua prædictio; *Non deficiet gladius de domo tua.*
Et ob vnicum actum ſuperbiæ, quo iuſſit Ioab III.
in extenſi ſui dominii vanam oſtentationem ini- Nec non
re cenſum populi ſui, quod fuiſſe peccatum Dauid. ad
mortale aſſerit nemo: cum Spiritus Sancti di- 3. Re. 15. 5
cat. *Fecit Dauid rectum in oculis Domini &c.
excepto ſermone Vriæ Hethei.* Eum tamen Deus
tam mortifera lue caſtigauit, vt intra ſex hora-
rum ſpatium, a mane vſque ad meridiem peſte
conſumpta interierint ſeptuaginta hominum
millia, ipſe vero adeo conſpectu Angeli e-
iuſque gladii euaginati perterritus, vt ei vena-
rum ſanguis congelarit, ex quo, ſecundum
quorumdam opinionem, totus reliquo vitæ
tempore frigore nimio conſtrictus obriguerit.
Abſolutum virtutis exemplar erat Ioſeph, &
ob caſtitatis defenſionem in neruum coniectus,
cum vero iam foret liberandus, ad biennium
eius protelatur captiuitas, hac tantum vt reor
ex cauſa, quod pincernæ Regis Pharaonis ſuam
plus nimio confiderit liberationem eiuſque re-
quiſierit apud Pharaonem ſuffragium, quam vi-
rum iuſtum decebat ab homine ſciſcitari: *Erat
quidem Deus cum eo, vt ait Scriptura* (ait Diuus
Auguſtinus) *Sed quia plus iuſto in homine confi-
dit, dum petiit a pincerna: Memento mei &c.* D. Aug.
*additi ſunt duo anni, quibus teneretur in carcere.* Ser. 82. ei.
Splendidum virtutum ornamentis teſtantur om- Tom. 10.
nes Sacerdotem Zachariam, patrem D. Ioannis IIII.
Baptiſtæ, de cuius meritis illud D. Lucas per- Similiter
hibet illuſtre teſtimonium; *Erant ambo iuſti an-* Zachari-
*te Deum incedentes in omnibus mandatis & iuſti-* as.
*ficationibus Domini ſine querela.* Deſcendit An- Luc. 1. 6.
gelus de cœlo, nec minor ipſo Gabriele, bene-
ficium illi a Deo præſtitum memorans, quo na-
ſcituri filii prænuntiat merita præclariſſima ac
Ioannem ſignat nominandum; quia vero vel
paululum dubius de promiſſo titubauit, illico
elinguis, ad nouem menſes obmutuit. Abſit
opinari peccatum fuiſſe mortale, ſufficiat ve- 2. 2q. 97. a
niale, vt noſter rite probat Cardin. Caieta & Luc. 1. 20
quædam mentis infirmitas; cum enim & ſe
iam ætate declinem, vxoremque cum infœcun- 30
dam, tum ad funera cerneret properantem in- Li. 1. in vi-
terrogauit; quomodo fiet iſtud? *Vnde ego hoc* ta S. Vin-
*ſciam?* In huius fluctuationis pœnam, ait An- centii Fer
gelus: *Et ecce eris tacens, & non poteris loqui* rarienſis.
*vſque in diem quo hæc fiant.* c. 36.

Caſum plane ſtupendum de D. Vincentio refert Lib. 1. c. 36
M. Dia. & M. Gom. Cũ tota eius vita miraculũ V.
quoddam eſſet ac ſanctitatis prodigium, videre Exem-
plum.

multi deſiderabant id quod pernox in cubiculo ſuo ageret; ſpargebatur enim de illo, quod nullo candelæ aut facis adhibito lumine, totus clariſſimus radiaret. Talem eum quidam Monachi Benedictini conſpexerunt, in quorum monaſterio S. Vincentius fuerat hoſpitio exceptus: intrantes enim præfati religioſi noctu eius cubiculum, aduerterunt ex eo tantum oriri lucis fulgorem, vt Solis meridiani non cederet claritati, qua perterriti receſſerunt. Hoc ipſum contigit D. Reginæ Violantiæ in Barcellonia, quæ luce ex eius cubiculo promicante repercuſſa, nullo dicto verbo pedem ſubito retraxit. Hinc autem liquido conſtat tali virum Sanctum in anima ſua potitum luce, cum de corpore exterius tantum emitteret fulgorem. Acceſſit Rex Aragoniæ nocte quadam eum allocuturus, a ſocio vero ingredi ſe poſſe requiſiuit, Cui ille conſenſit. Intrat Rex, ecce vir Dei orationi mentis totus intentus tanto lumine circumfuſus, vt eo turbatus, nec virum allocutus, foras prodierit. Quod cum viro Dei poſtmodum referretur, id ſe adeo ægre ferre oſtendit, vt conuerſus ad ſocium, eundem grauiter reprehenderit nimiæ libertatis, ab conceſſum regi ad cubiculum ſuum acceſſum; in cuius delicti pœnam eum ſeptenni febri damnauit: illico enim eum febris ardentiſſima inuaſit nec toto ſeptennio vel vnico cum die dimiſit incolumem. Quis credat? Virum pietatis ac miſericordiæ merito ſpectabilem ſocio ſuo tantam infligere pœnam, & ob quod tam immane quæſo delictum? Regi conceſſerat acceſſum vt virum Dei alloqueretur, an hoc non ſuadet ipſa maieſtas regia? quod in eo uel imaginabile delictum? Punit eum tamen ſeptenni febri, quæ ſe nec ad horam remitteret. Vt diſcant omnes, num multa, num grauia requirantur crimina ad triginta & octo annorum paralyſim infligendam?

*Lib. 14. de ciuit. c. 11* Imponamus finem cum D. Auguſt. vbi agit de peccato Adæ, quod fuit illud peccatum? inobedientia: præceperat enim illi Deus ne comederet de ligno ſcientiæ boni ac mali, comedit, & tranſgreſſus eſt Dei mandatum, qua illum Deus ob hoc peccatum pœna mulctauit? Ipſum Adamum mortis reum damnauit, omnemque eius proſapiam, tam ipſum, quam omnem eius propaginem, vt rebelles proditores inſimulans, paradiſo exturbauit, & in totum futurum tempus vitæ præſentis, tantis totque miſeriis tradidit, quot, quantaſque patimur, fame perimus, ſiti areſcimus, laboribus fatigamur, morbis exhaurimur, doloribus affligimur: nec vllus capere ſufficit intellectus aut lingua exprimere, malorum omnium aut numerum aut grauitatem, nec eſt qui illa aut euincat, aut euadat incolumis, in futurum autem cunctos æternæ gehennæ, æternis ignibus addixit cruciandos. O Supreme rerum Domine, an hæc non tua lex, ſtatutum tuum iuſtiſſimum? *Pro menſura peccati, erit & plagarum modus.* *Deu. 25. 2* An tanti vnicum appendis in ſtatera iuſta ſumptum pomum, vt in eius æquipondium, tam graues moleſtaſque pœnas appendas, hominemque aggraues delinquentem? Scito, has omnes plagas, tanto peccato condignum non eſſe ſupplicium. Deus immortalis! Hinc omnes compertum habeant, quid ſit peccatum, & quam leui illa veſtra puniat Deus ſupplicio. Si Adamum eiuſque poſteros tot doloribus, ægritudinibus, morte denique ipſa pro vnico peccato iuſte damnauit, quod tam leue iudicamus: quid te turbat, quod te peſſumdent, prægrauentque languores calamitates, aduerſitates tantorum criminum, ſcelerumque in Deum & proximum reum terræ cæloque execrabilem? Quid in ſtuporem raperis, ob immiſſam tibi corporis infirmitatem, qui foris domique libidinoſus, carnis inquinamentis luxuque totus perditus, inſtar bruti vixiſti? Quid effutis querelas diuturna te obrui neceſſitate, pauperum ſanguiſuga, pupillorum viduarumque oppreſſor non tolerandus? Plura nobis hic occurrunt conſideranda ex conſilio Spiritus Sancti ſimiles caſus referentis.

VI. Adhortatio ad patientiam.

Fac concluſionem quod ſi Deus peccata leuiora, vt prædiximus tam ſeueris, diuturniſque plectat pœnis, in iis, quorum volebat miſereri, quibus tormentis, cruciatibus flammiſque damnabit inimicos, in quos vehementius commouetur, & ſecundum iuſtitiæ rigorem punire decreuit peccatores? *Sap. c. 11. 10.* *Cum enim tentati ſunt, & quidem cum miſericordia, diſciplinam accipientes ſciuerunt, quemadmodum cum ira iudicati impii, tormenta paterentur.*

## §. II. Hunc cum vidiſſet. *Pauperculum vidit: hoc enim et proprium eſt, & miſereri, qua ratione & cuius vult.*

12. 31 LAnguidum hunc diuinis ſuis oculis inſpexit Chriſtus: *Hunc cum vidiſſet.* Benedicat nos Deus. An in illum Domine tuos deflectis oculos? An alii non erant illo nobiliores, ditiores, magis expoſiti, cæteris digniores, cæteris eminentiores, qui illuc confluxerant infirmi? Quis dubitat, quin fuerint & illic principes multi, viri honorarii, expectantes, lectulis patentibus decumbentes, famulis conſtipati paratiſſimis, vt ad primum aquæ motum eos aquis immergerent reparandos? Olim accurrit Princeps ille Syriæ illuſtris Naaman, ad vnicam ancillæ captiuæ vocem, in terra Iſrael prophetam eſſe Dei, qui infirmos curaret: quanto magis ex diuerſis regionibus audita huius medicabilis fama piſcinæ cuncti conuenirent, allecti remedio illo quibuſlibet infirmitatibus vniuerſali, eodemque efficaci? Inter tantos, eoſque innumeros, quos eo ſalutis attraxerat deſiderium, & qui eo accedentium primum patebant oculis, tua o Domine in pauperculum, in angulum reiectum, vix patulum, deſertum, qui hominem non habet adiutorem, benigne miſericorditerque lumina deflectuntur? Ita eſt, vt agnoſcas, id quod ait Dauid, a Deo pauperes aſſumi, quos mundus deſerit in adiutos. *Tibi derelictus eſt pauper.* (Pſal. 9. 35.) Miſericors & miſerator Dominus cunctis prouidet creaturis. (Pſ. 144. 16.) *Oculi omnium in te ſperant Domine,* &c. *aperis tu manum tuam & imples omne animal benedictione.* Filiis per parentum prouidet ſollicitudinem, parentibus per filiorum diligentiam, Diuitibus per famulos, amicis per amicorum auxilium. Omnibus deficientibus adeſt Deus, ſicut & pullis coruorum, a parentibus derelictis in nido & pipientibus Deus accurrit modo quodam ſingulari. (Pſa. 146. 9.) *Pullis coruorum inuocantibus eum.* Et ſicut oua ſtruthionum in arena expoſita transeuntium pedibus conculcanda Deus ipſe fouet, & excludit, vt ipſe fatetur: (Iob 39. 14.) *Quando dereliquit oua ſua in terra, tu forſitan in puluere calefacies ea?* Ille igitur, qui nec auiculis, nec pullis deeſt prouidus gubernator, dum nemo eorum gerit curam, num homini deeſſe poterit, ab omnibus derelicto? Minime gentium. Tunc o Domine, inquit Dauid, *Tibi derelictus eſt pauper.* Hanc ipſi Dauidi Deus lectionem præſcripſerat, eius ſpei roborator, his tam Diuinis verbis. *Intellectum tibi dabo, & inſtruam te in via hac, qua gradieris, firmabo ſuper te oculos meos.* (Pſa. 31. 8.) Attende, o Dauid verba mea, hanc percipe doctrinam. Dum totus tibi deerit mundus, *Firmabo ſuper te oculos meos*, vt nuſquam tibi deſim auxiliator.

Hac admonitione ſibi animos reſumebat piiſſima Eſther, in regis Aſſueri palatio ſolitaria vbi tot inimici crudeles, infeſti in eius populique ſui perditionem necemque conſpirabant: ad Deum tremula confugit his eum verbis compellans teneerioribus. (Eſth. c. 14, 3.) *Adiuua me ſolitariam, & cuius præter te nullus eſt auxiliator alius: periculum meum in manibus meis eſt.* Hoc opus, hoc negotium tuum o Chriſtiane: dum te gemis infirmum, ſuſpiras tribulatum, quereris deſolatum, nullus eſt qui tibi manum porrigat, omnes te perſequuntur; ab amicis deſertus, ſolus, oculos ſurſum in cœlum dirige, Deum roga, *Aſpice me & miſerere mei: Reſpice me ſolitarium:* Tales quippe Deus aſpicit, firmat ſuper eos oculos ſuos. *Hunc cum vidiſſet.* Conuenit hoc apprime Diuinæ prouidentiæ, benignitatis ſuæ firmare lumina ſuper pauperem derelictum (I. Pauperum Deus curam gerit.) Vocatur Deus, cor mundi; ipſe etenim eſt qui eius gerit curam, vt ne vel momento eum deſerat incurius. *Cor* (teſte D. Iſidoro) *dicitur a cura:* cor enim primario curandæ hominis vitæ incumbit, a quo & hæc dependet. (Lib. 4. Etym. c. 4.) Dormiente homine, quaſi vigilias agit cor, & nec vel momento requieſcit, continuo volitans motu, vt vitæ ſollicitum, totius corporis intendens conſeruationi, ſenſuum ac potentiarum, cunctis ſuam tribuens partibus virtutem, calorem naturalem, ſuæ quietis immemor, vt ea homo perfruatur. Hac ex cauſa, credunt aliqui a ſponſa ſponſum cor appellari, (Cant. c. 5. 2.) *Ego dormio & cor meum vigilat.* Et cum pars ſit principalis, illud Deus ad partem ſiniſtram declinauit, ibi enim ſunt pulſus principales, palpitationes, & ſpiritus abundantiores. An non conuenientius Deus cor ad dexteram collocaſſet partem vtique principalem? O Diuinam prouidentiam, iam lateri dextro prouiderat Deus de hepate, ſanguinis origine in quo ſunt ſpiritus vitales, ex quo eum aliæ emendicant partes. Sanguine abundat & calore naturali. Siniſtrum vero latus his nudum ac inops emendicat cui cor ſuccurrit, vbi & ex profeſſo ibi eius viget impulſus & ſpiritus. Talem eſſe Deum tu meditare.

Aliam ſignat rationem D. Bernard, vt cognoſ-

noſcas, Deum ſuam conferre gratiam ac præ-
ſtare miſericordiam cui placuerit, & quomodo
Rom.9.16 placuerit; proinde catholice dixerit D. Paul.
*Non eſt volentis, neque currentis ſed Dei miſerentis*
Illud quoque nobis (ait) indicat ſponſa cœle-
ſtis, dum de ſuo ſponſo ſermonem inſtituit;
Can.2.8. *Ecce iſte venit ſaliens in montibus, tranſiliens colles.*
Salit, multos deſerit montes, ſiſtit, & ſedem
figit in eo qui minus eminebat: tranſilit colles
& altiores prætergrediens, ſubſiſtit in eo qui
cæteris eſt humilior, minuſque caput attollit.
Timeto, (inquit D.Bernard.) nec tibi ob di-
uitias promittas gratiæ ſecuritatem, nec ob ſa-
pientiam, nobilitatem, Sacerdotium, docto-
ratum; nouit enim Deus altiſſimos omnes hos
pertranſilire montes, ſuos vero firmare oculos
in pauperculum ac humilem, ſuiipſius imme-
morem, & ab omnibus derelictum. *Timeamus*
D.Bern. *nam non ad omnes montes pertingit ſponſus, & at-*
Ser.54.in *tendamus, ſponſi ſalutiferis ſaltibus preparare nos,*
Cant.) *ne veluti a montibus Gelboe forte tranſeat: ad hoc*
*ſalit, vt tranſiliat, qui non vult ad omnes pertin-*
*gere.* Adeſt in templo cum Sacerdotibus &
Principibus, inde ſalit. *Præteriens Ieſus vidit ho-*
Ioan.9.1. *minem cæcum.* Siſtit, firmat vultum ſuum in pau
perem cæcum adeo ab omnibus reiectum vt &
ipſi eum parentes deſeruiſſent, manumque re-
traxiſſent ſubſidiariam; lumen infundit quo ſo-
lus ipſe plus videt, quam omnes illi, qui oculi
mundi habebantur. Salit ex Iudæa, quaſi qui
ſaltum edit, lumina figit in Samaritanam mu-
lierem adulterio ſpurcam, veneris porcum, præ-
dicandi Euangelii munus illi infundit. Vlte-
rius proſilit, mille doctores, vrbis primarios
præteruolat, ac faciem conuertit in publicanum
vſurarium publicum, Apoſtolum creat & Euan-
Iſ.17.20. geliſtam. Hæc eius eſt gratiæ qualitas, non ex
operum noſtrorum meritis. *Saluum me fecit,*
*quoniam voluit me.* Laudat Dei miſericordiam
Dauid.

Porro alia latet ratio propoſito noſtro magis
conueniens. Vidit languidum illum Ieſus: erat
enim ille in quo patentius piſcinæ defectus no-
tabatur. Magna huius virtus piſcinæ, ex vna
parte; quaſlibet enim ſanabat infirmitates: ſed
ex altera parte valde limitata, cum nec ſemper
virtutem ſuam exereret, nec in omnes, ſed nec
in multos, at in vnicum tantum; hic totam piſ-
cinæ virtutem exhauriebat qui vero hoc euiden-
tius & probabat & monſtrabat, erat hic lan-
guens, triginta & octo annis iam longanimis,
& vltra votum patiens ſuam ſperabat ſalutem,
quem piſcina numquam reſtituit ſanitati: virtus
enim eius, non ad eum ſe extendit, qui ſolus eſt
ſed ad eum qui ab alio in aquam demergitur,
nec illi ſupereſt vlla piſcinæ virtus, poſtquam
ex ea primus iam ſanus exilierit. *Hunc cum*
*vidiſſet Ieſus, & cognouiſſet: quia iam multum*
*tempus haberet.* q. d. Hoc operari intendo, ad
quod ſe non extendit piſcinæ virtus, & meam
oſtendere virtutem illa longe ſuperiorem; quæ
nec tempori, nec primum accedenti, nec ho-
minis adiutorio alligatur, ſed cuius voluerō,
miſereor. Attendite: quod ſi ad ſanandum po-
tens ſit piſcina, ex Angelica virtute, maior
multo mea eſt virtus, meique brachii fortitudo
potentior, qui illum in pedes erigere ſanum va-
leo, quem nec illa vnquam ſanare potuit, ſed nec
poterit, idque non expectato motu aquarum An-
gelico, ſed ſola mea voluntate, & qua voluero
ratione. Ad hoc igitur accedit Chriſtus affa-
bilis totus ac mitis, vt eius ſe oſtendat miſere-
ri, blando vultu, ridentibus oculis tacentem in-
terrogat: *Vis ſanus fieri?* Ad quid eum Domine
interrogas? Vt ipſe ſuam fateatur (reſpondet
D. Chryſoſtom.) infirmitatem, & huius piſ-
cinæ virtutem declaret adeo eſſe reſtrictam, vt
eius vnquam ſe participem poſſe fieri diffidat:
cum eum ſolummodo curet, qui hominem ha-
beat, tanta ſedulum diligentia, vt primus aquis
initiatur: hic enim totam ſecum defert virtu-
tem. Sic ut nihil ſuperſit ſecundo: Audi igi-
tur illum reſpondentem: *Hominem non habeo,*
*vt cum turbata fuerit aqua, mittat me in piſci-*
*nam: dum enim venio ego, alius* &c. Ob ean-
dem rationem, dum diuinam ſuam explicat
virtutem in panum multiplicatione, primum
interrogat: *Vnde ememus panes?* Vt omnibus
conſtet, nullum ibi medium inueniri: non enim
pecuniæ ſufficiebant, nec panes tantæ multitu-
dini, & diſcuſſa veritate ad ſummum quinque
panes hordeacei & duo piſces inueniebantur;
*Sed quid hæc inter tantos,* cum præter mulieres,
ac paruulos quinque millia virorum cenſeren-
tur? Vt perpalam fiat, quod deficiente virtu-
te ac poteſtate terrena, Chriſti virtus eluceſ-
cat, vtque diuina ac ſuprema, quæ nec loco cir-
cumſcribitur, nec tempore coarctatur, nec nu-
mero definitur, vt quibus velit de cibo proui-
deat, & faciat quodcumque ſederit animo.

§.12.Vis

§. 12. Vis ſanus fieri? *Si tu nolueris, non te ſanabit Deus, qui dicitur ludere cum hominibus.*

☞ 33 CHriſtus illum interrogat: Chariſſime, *Vis ſanus fieri?* quæ hæc tua ô medice experitiſſimè interrogatio? quis vnquam medicus talem ægroto propoſuit? (Hypo.) Hyppocrates Medicorum inſtructor primas has docet interrogationes infirmis proponendas: ſcilicet: qui vales, quomodo te habes, quòd tuum malum, vnde tibi hoc, à quo tempore? *Cum ad ægrotum deueneris, interrogare oportet, quæ patitur, & ex qua cauſa, & quot iam diebus.* Has omnes interrogationes exigit ipſa ratio, vt medicus ægroto proponat, qui, vt ignorans, nec ſcit, quam alter patiatur ægritudinem, nec eius originem, nec tempus. At illi vero tales non ſunt interrogationes faciendæ, qui intima nouit corporis infirmi, qui cordis fibras rimatur, & oculorum ſuorum acie medullas peruadit oſſium abditiſſimas. (Pſ.138.15) *Non eſt occultatum os meum à te, quod feciſti in occulto,* ait Dauid. Et in hoc præſenti miraculo neruosè ſignat Euangeliſta, hoc ſupponens, quòd Chriſtus mentis ſuæ acumine paralyticum intus & in cute nouerat: *Hunc cum vidiſſet.* Cognouit, perſcrutatus eſt quidquid in illo erat, & paralyſim, & temporis diuturnitatem: *Et cum cognouiſſet: quia iam multum,* &c. Proinde nihil horum quærit: niſi illud tantummodo: *Vis ſanus fieri?* Profundum indicans myſterium, quod ſæpè numero ponderat D. Auguſtinus. (Tract.24. in Ioan & ſerm.42. de verbis Domini.) Hoc ſuppone (inquit D. Auguſtinus.) Sicut corporis infirmitates, ſymbolum ſunt animæ defectuum, ita & illarum medela, eadem eſt quæ horum. Paralyticum Chriſtus rogat, *Vis ſanus fieri?* anima enim tua nequaquam te nolente curabitur; nota quippè (Serm.15. de verbis Apoſtoli.) cunctis eſt illa D. Auguſt. propoſitio: *Qui fecit te ſine te, non ſaluabit te ſine te.*

Quandam Doctores excutiunt difficultatem, cur Deus, vt me crearet in hoc mundo, meam ſuper hoc non requiſiuit voluntatem nec conſenſum, voluntatem tamen meam requirit, vt (Mat.19.17.) me eueheat ad cœlos; & agens cum adoleſcente de ſalutis ſuæ negotio; primùm eius explorat voluntatem: *Si vis ad vitam ingredi.* (I. Cur propria ad ſalutem requiritur voluntas.) Quare dum peccator viam ingreditur perditionis & ad ignes ſceleratus feſtinat ſempiternos; eum collari Deus non detinet, non retrahit, non ſiſtit vt bonus pater, ſalutis filij deſideratiſſimus, dum eum videt ad laqueum properare perditionis, abyſſumque deſperationis. Cur, dum eum peccatis cernit immerſum, non extrahit licet renitentem, ſicut ignibus extraheret etiam ſponte ſua iniectum. An Deus hoc facere non præualet omnipotens? Fieret hoc, ſi Deus ſolum eſſet omnipotens, brachij ſui ſolius potentiâ nos erueret; attamen eſt & ſapiens, ſummâque cuncta regit ſapientiâ: quæ hoc exigit, vt ſuauiter cuncta gubernet ſecundum cuiuſque conditionem: ſed nec ipſis plantis, herbis, aut animalibus aliud diſpoſuit, quàm vt vnumquodque ſecundum propriam naturam operaretur: *Iuxta genus ſuum.* Hominis autem natura libera eſt, liberum habet arbitrium, ac voluntatem, vt bene probat Doctor Angelicus, & teſtatur Spiritus ſanctus: (1.2 q.113 a.3.) *Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit illum in manu conſilij ſui.* (Eccl.15. 14.) Ob quam rationem factus dicitur ad imaginem & ſimilitudinem Dei, qui ſuorum actuum Dominus eſt abſolutus. Iuxta hanc naturam nos regit Deus, nec cogere intendit, ſed tantùm noſtrum requirere conſenſum ac petere voluntatem.

Sponſam vocat ſponſus, ædes eius accedit, 34 ☞ oſtium pulſat verbere repetito: (Cant.c.5.2.) *Aperi mihi ſoror mea, ſponſa mea: quia caput meum plenum eſt rore,* &c. Illa non aperiente, longius retrocedit. O ſponſe cæleſtis, an tibi vires non ſunt portas aperiendi, earumque confringendi cardines cum ſis ipſo Samſone fortior? An tu non ille, de quo Dauid cecinit: *Qui contriuit portas æreas, & vectes ferreos confregit?* (Pſ.106. 16.) Si illa portas renuit aperire, an non tibi facilis patet per parietes, per feneſtras ingreſſus per illas etenim ſæpiùs mors ſubintrat, teſte Hieremia: (Hier.9.21) *Aſcendit mors per feneſtras veſtras.* Tibi hoc conuenit meliùs, qui vita es. Poſſum equidem, at ſine ſponſæ nihil volo voluntate. An ignoras, ingreſſum hunc eſſe ſponſi, vt animam ſibi aſſociet in ſponſam, nec dari inuoluntaria ſponſalia? Iuſtè dixerunt parentes Rebeccæ, dum agunt de ea deſponſanda Iſaac: *Quæramus voluntatem ipſius,* &c. *Vis ire cum homine iſto?* (Gen.24. 57.) Optat cæleſtis ille ſponſus animam in ſociam ſui thori recipere, hoc autem niſi conſenſu ac voluntate præuia non fit; proinde nullam infert violentiam, ſed accedit, ſed pulſat, ſed quærit eius voluntatem: *Ego ſto ad oſtium & pulſo. Si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum.* (Apoc.3. 20.) Si illa noluerit, vim non facio, ſed vlteriùs ſecedo. Vocat Deus, clamat, inſpirat, monet, minatur: ſi obſurdeſcas,

ſurdeſcas, nec volueris, ſed ad inferna properes: vim tibi inferet nullam, tranſibit, deſeret te: te
Sap. 8. 1. namque Diuinâ regit ſapientiâ ſuauiter: *Suauiter diſponit omnia.* Coactio contraria eſt ſuauitati.

Præclara de ſeipſa proponit myſteria, æterna Sapientia, id eſt Verbum æternum, Vnigenitus Patris. Concionem quondam proponit, quā ore depromit Sapientiſſimi Salomonis: Ad auditorium citat, conuocatque vniuerſum hominū genus ſic vt nullus deſideretur; magna illis ſtudet
Prou. 8. 4. proponere myſteria: *O viri ad vos clamito, & vox mea ad filios hominum. Audite quoniam de rebus magnis locutura ſum:* Hæc, ſi & ipſi increatæ Sapientiæ videantur magna, qualia ab omnibus ſunt æſtimanda? quæ ſunt hæc? Tria declarat. Primum æternæ ſuæ generationis ac ſubſtantię originem. Secundum: Principium eſſendi creaturarum, in ordine naturæ. Tertium: Principium eſſendi in ordine ad gratiam. Magna ſunt hæc. Primum proponit, atq; ſe æ principium eſſen-
Prou. c. 8. 23. tiæ eſſe ab æterno Patre: *Ab æterno ordinata ſū, & ex antiquis*, &c. *Nondum erant abyſſi, & ego iam concepta eram.* Secundum, agit de principio, quod dedit creaturis, eſſentiam, quod erat idem ipſe Pater, ſed cum ipſo: ſicut enim artifex per ideam, quam ſuo concipit intellectu, & manuum ſuarum potentiam artis ſuæ producit opera, ita Pater per Verbum æternum, ideā & diuini ſui intellectus cōceptum, ſuamque potentiam cuncta produxit:
Prou. c. 8. 26. *Quando præparabat cœlos aderam, quando certa lege, & gyro vallabat abyſſos, quando æthera firmabat ſurſum, & librabat fontes aquarū*, &c. *cum eo eram cuncta componens.* Non fallar, ſi dixero ex hac lectione D. Ioannem ſumpſiſſe illam iam ſublimem, quæ ſuperexcedat intellectū Angelorum. Primum, æternam ſcribit Verbi æterni generationem.
Ioan. 1. 1. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum.* Deinde, creaturarum productionem per illud idem Verbum. *Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil.*

35 Ad tertium procedit, exponitque myſterium Incarnationis & hominum iuſtificationis: *Delectabar per ſingulos dies, ludens corā eo omni tempore, ludens in orbe terrarum, & deliciæ meæ eſſe cum filiis hominum.* His conſonat D. Ioannes: *Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri: & Verbum caro factum caro factum eſt. Deliciæ meæ eſſe cum filiis hominum* per Incarnationis myſterium humanæque naturæ aſſumptionem: Hoc mihi ſummum gaudium ludere cum hominibus, & hoc ago toto orbe terrarum. Sapientiſſime Deus, num forſan ludicra ſunt tua quæ tractas negotia, vt ea luſum dicas? Num forte tam parui ea facis, vt id quod in orbe intendis, ſit luſus, ſit iocus? & idem bis repetis: *Ludens coram eo, ludens in orbe terrarum.* Altiſſimum hic tangit Vide infra Homi. 23. §. 19.
myſterium. Duo ſunt luſuum genera: vnus manus ad manum, alter ſocietatis: & hoc intereſt 11.
diſcriminis; quòd in luſu manus ad manum agis quod velis; vel multum aut parum luſui ſupponis, vel te ipſum contines, vel explicas pro bona tua voluntate. Duo ſunt ludorum genera. In luſu vero ſocietatis minimè, ſed ſocij requiritur voluntas, quòd ſi tu vel ſupponas, vel ludas, aut conſentias ſuppoſito, ſi ſocius non cōſenſerit, nihil agitur. Duos hos luſus luſit Verbum æternum. In principio ad rerum omnium creationem luſit manu ad manum, primum cum nihilo, & aleæ ſubiecit tantum quantum ipſe voluit, de illo educens, quidquid volebat, & qua ratione intendebat, nullius petita voluntate. Continuò luſit cum creaturis manu ad manum & expoſuit quantum voluit: cum cœlo luſit & ſtellas eduxit, quot voluit; cum aquis, & quotquot voluit eduxit piſces; cum aëre, & quotquot voluit pennis inſtruxit aues; cum terra, & ex ea quotquot placuit, herbas procreauit. *Ipſe dixit & facta ſunt,* Pſ. 148. 5.
*ipſe mandauit & creata ſunt.* Eodem luſu recreauit ſe in hominis creatione. Hunc enim maiorem, illum puſillum condidit; hunc nobilem, illum agricolam creauit; hunc in hac regione, alterum ſtatuit in alia, hunc acrimonia dotauit ingenij, illum ſtupidum truncumque produxit; illum oculis, vultuque inſignem, hunc his omnibus orbatum. *Fecit te, ſine te.*

Attamen in negotio iuſtificationis, ob quam venit in mundum, luſu luſit ſocietatis, & ſocium ac quaſi adiutorem aſſumpſit hominem. Talem ſe prædicat Apoſtolus: *Dei adiutores ſumus.* 1. Cor. 3. 9.
Nec vult ſuum valere luſum nec expoſitum, niſi homo conſentiat. *Non ſaluabit te ſine te.* Eleganter reſpondet D. Bernardus in eo quod notat vates Iſaias ad celebrem illam viſionem, quā vidit Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum, plenum maieſtate, ſublimem, aduertit ad latus duos Seraphim ſex alis præfulgidos. Licet vero intelligant quidam quòd duabus tegebant caput Dei, & duabus aliis inferioribus eius pedes, duabus verò mediis volarent, attamen textus præſertim Hebraicus, locum cedit interpretandi, quòd duabus aliis ſublimioribus non Dei, ſed proprium velarent caput duabus inferioribus proprios pedes, mediis

D. Bern. Ser. 4. in *Vidi Domi num ſeden tem.*

vero volarent, corporis autem pectus nudum oſtenderent. Ne crediderîs (inquit D. Bernar.) hoc vacare myſterio, quinimo diuinis ſcatet hieroglyphicis. Voluit Dominus profundum oſtendere prædeſtinationis myſterium, proinde ſe ut Regem ſupremum oſtendit, & excelſa fulgidum maieſtate: in nullo enim alio myſterio, Domini ſui regnique tanta Deus claruit celſitudine, quam in hoc prædeſtinationis & reprobationis exemplari, in quo procedit, vt Dominus adeo abſolutus ac independens, vt quos vult prædeſtinet, & quos vult, reprobet pro mera ac libera ſua voluntate.

D. Ber. Ibi. c. 8.

*Operatur ſecundum propoſitum voluntatis ſuæ.* Alios nullos coegit conſiliarios, ad hanc electionem quam propriam ſuam voluntatem; tantum autem erat illud myſterium, vt illud contemplatione perſcrutari D. Paulus minime præſumpſerit: abyſſus enim videtur, & immenſum pelagus, quo ſe conatur expedire hoc axiomate: Quod ſi figulus luti ſit tam abſolutus Dominus, vt ex eo pro mera ſua voluntate fingat vas in honorem, quod in menſa proponatur, aliud quoque, quod ſemper ignibus exponatur: quanto meliori iure poterat Dominus totius naturæ Dominus independens in eiuſdem maſſæ hominibus, hunc gloriæ ſuæ præeligere coheredem, alterum æternis ignibus deſerere concremandum? In hoc myſterio tria (ait D. Bernard.) ſunt conſideranda. Caput, medium, & pedes, extremum ac vltimum: tria quoque hæc declarat D. Paulus, vocatio, iuſtificatio & glorificatio.

Eph. 1. 11.

*Conſidero ſiquidem, quaſi quoddam caput, corpus, & pedes meos in verbis Apoſtoli, quibus ait: Quos prædeſtinauit, hos & vocauit, quos vocauit, hos & iuſtificauit, & quos iuſtificauit, hos & glorificauit.* Caput ac principium executionis prædeſtinationis, eſt Dei vocatio. Hoc caput eſt contectum, cui nec interuenit alarum prædeſtinati volatus: pendet enim ex ſola Dei gratia ac miſericordia. *Initium meum ſolius gratiæ eſt & non habeo quid mihi in prædeſtinatione, aut vocatione tribuam.* Pedes, id eſt vltimum, glorificatio eſt iuſtificati, vltimus effectus prædeſtinationis. Sunt hi quoque contecti, nihil cooperantibus tuis alis: hanc enim ſolus Deus operatur. *Conſummatio quidem, & ipſa ſolius gratiæ eſt, nec eſt in ea mihi gloriari.* Medium, animæ tuæ creditur iuſtificatio, ad hanc alæ concurrunt intellectus tui ac voluntatis; iſtarum enim potentiarum tuarum opera requiruntur, ut illis cooperantibus Dei gratia ſuum operetur effectum. *Non ſic ſane in opere iuſtificationis alienus ſum operatur quidem illud gratia, ſed plane mecum.* Mecum exequitur Deus opus meæ iuſtificationis, quod eſt quaſi luſus ſocietatis, vt enim valeat aleæ expoſitum neceſſario concurrere debent amborum qui ludunt expreſſæ voluntates.

Quoties vultu ſuo benigniſſimo te inuitat Deus, gratiam offert ac gloriam, ſeipſum ac quidquid habet, & renuis? Quoties vrget, vt peccatis abſtineas, attendas vitæ tuæ breuiſſimos dies, æternum gehennæ incendium, quo tu tendis feſtino curſu, nec conſentis ſed replicas: non illud volo! O quanta Deum iniuria dedecoras illa negatiua. *Et noluit.* Singulari Homilia perpendit D. Chryſoſt. hæc D. Pauli verba; *Voluntarie peccantibus nobis poſt acceptam notitiam veritatis, iam non relinquitur pro peccatis hoſtia, terribilis quadam expectatio iudicii & ignis æmulatio, quæ conſumptura eſt aduerſarios. Irritam quis faciens legem Moyſi ſine vlla miſeratione duobus vel tribus teſtibus moritur, quanto magis putatis deteriora mereri ſupplicia, qui filium Dei conculcauerit, & ſanguinem teſtamenti pollutum duxerit, in quo ſanctificatus eſt & ſpiritui gratiæ contumeliam fecerit?* O quantum ſupplicium, ei qui ſpiritum gratiæ Dei extinxerit? *Ignis æmulatio.* Expendit ibidem D. Chryſoſtom. quod loquatur de igne animalis viui. In quem hæc plaga deſæuiet? In eum *Qui ſpiritui gratiæ contumeliam fecerit. Et ſpiritum, qui gratiam largitur, contumelia affecerit.* Ita ipſe legit. Quamobrem? *Qui enim beneficium accipit, ei qui beneficium contulit, iniuriam facit, eumque contumelia afficit. Te fecit filium, tu ſeruus eſſe vis. Venit habitandi apud te, ac tecum cauſſa, Tu in eum praua conſilia moliris: Chriſtus ſtare apud te, ac tecum cupit; tu crapula & ebrietate eum conculcas.* O quis dolor fidelibus ſeruis venienti Regi, vt te diuitiis cumularet, reſponderes, tuas nolo diuitias, eas pedibus contereres & ipſum quoque regem conculcares quid famuli hoc viſo non agerent? Hic eſt ille, qui conſpicit, quod offerenti tibi Deo ſuam gratiam ut tuam, ſuam gloriam & quidquid poſſidet, insuper & ſeipſum; ais eſt, ons explodo illa, deſpicio. *Ignis æmulatio.* pœnam magnam talis impudentia, talis tua meretur audacia. Hoc idem quoque ipſe Chriſtus tanto doloris ſenſu lamentabatur; *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas & noluiſti?* Quoties ego te criminibus ſtudui expedire morbos tuos ſanare, tibi ſalutem impertiri? Quoties te rogaui: *Vis ſanus fieri?* Quid tibi perſuades quid

Hebr. cap. 10. 18.

Diuus Chryſ. *Habetur particularis Homilia poſt homilias in Epiſt. ad hebræ. Tom. 4.*

*Matt. 21. 37.*



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ſi, dum graui cor tuum pulſu commouetur, dum te ſpectante ſubito alter mortuus corruit, & intus vocem audiſti commonentem, tibi caue, hoc tibi ne contingat, niſi vox Dei, & inuitatio, quæ a te quærit: *Vis ſanus fieri?* quid eſſe putas, dum intimo cordis tui receſſu te ſentis alloquentem, Chriſtiane, Deum grauiter offendiſti. circumſpice, eius tu quandoque manibus traderis iudicandus, attende cuius tibi iram concitaſti; Mortem æternam meditare, delicias fugientes, de quibus nihil tibi ſit reliqui niſi dolor ac confuſio? Dei ſunt inuitationes. *Vis ſanus fieri?* Dolendum eſt, quod *Noluiſti.* Nec nuntium vis remittere puellæ, nec iniuſta lucra refarcire, nec Dei gratiam tibi oblatam acceptare, nec animæ tuæ ſalutem, a qua te inuitat aberrantem. In eo nullus defectus, adeſt paratiſſimus vt tibi gratiam ſuam infundat, & cum illa ſuas diuitias, ſua dona cæleſtia, quinimo & regna ſua ſempiterna; ſemper ex parte tua defectus eſſe conuincitur. *Noluiſti.*

III. Nos nolumus ſaluari.

IIII. Deus ſemper eſt paratus. Ex. 25. v. 12. 13. 14. 15.

Quis non arcæ diſpoſitionem admiretur? Præcepit Moyſi Deus vt illam ex ligno Setin incorruptibili ædificet, deauratam intus & foris, cui includi voluit theſauros & dona cæteris digniora populo ſuo conceſſa, vaſculum mannæ, virgam Aaron mirabilium effectricem, quæ fronduerat, ac tabulas legis: deinde mandat: *Facies circulos aureos, quos pones per quatuor arcæ angulos, duo circuli ſint in latere vno, & duo in altero, facies quoque vectes de lignis Setim, & operies eos auro. Inducesque per circulos, qui ſunt in arcæ lateribus, vt portetur in eis: qui ſemper erunt in circulis, nec vnquam extrahentur ab eis.* Semper ſit arca parata, vt ei manus iniiciant, portentque hi quorum eſt officium. Domine, an non Arca illa collocari debet in loco in *Sancta Sanctorum*, quo nemo poſſit accedere, niſi ſummus Sacerdos, idque ſemel in anno? Ad quid ſemper vectes in circulis, quaſi ſemper poſſint manus ad eam portandam admoueri. Arca Chriſtum præſignabat: *In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ Dei.* O arca Deifera ſemper parata, vt eam quilibet domum ſuam referat, eique poſſit manum admouere: Accedens ad eum Centurio, in ſerui ſui ſalutem, *Ego veniam & curabo eum.* Extendens manum mulier ſanguine fluens ad veſtimenti eius fimbriam, ſecum detulit plagæ ſanitatem: dum eum Iayrus, Princeps Synagogæ vnico verbo in domum ſuam inuitat, ilico accedit mortuam filiam ſuſcitaturus. Verbum audiens leproſi, *Domine: ſi vis potes me mundare,* voluntas mea, reſpondet Dominus tam prompta eſt in tui remedium, vt nihil aliud deſit, quam ipſa tua voluntas. *Volo:* proinde, cum tu hoc velis, certum eſt quod ex me non deero: *Volo mundare:* Hoc quoque vobis dicit: confidite: ſemper enim ſum paratus. Si eum quæris recipere eiuſque dona cæleſtia, expectat, vt manum admoueas eius miſericordiæ, ſi remiſſionem optas peccatorum, eius ineſtabilibus diuitiis. Si illum in venerabili Sacramento ſuſcipere: eius gratiæ, ſi eius tibi prodeſſe merita deſideras. *Quoties volui.* Ego ſemper ſteti paratus, tu vero ille es qui *Noluiſti.* Quocirca radicitus exſcindas & vnico ictu omnes amputes excuſationes; non a te petit aliud in donorum ſuorum, diuitiarum ac regni pretium niſi tuam tantummodo voluntatem *Vis.*

Col. c. 2. 3.

Mat. 8. 7.

Matth. 8. 2.

Hinc Publicum omnibus eſt præconium illud, quod Deus ex ore vatis Iſaiæ præcepit diuulgari: *Omnes ſitientes venite ad aquas, & qui non habetis argentum emite, & comedite venite, emite abſque argento, & abſque vlla commutatione vinum & lac.* Sitis effectus eſt caloris, & ardoris interioris, eaque tanta eſt, quantus, & calor: vt patet in eo qui febribus ardeſcit: quanto enim eſt ardor intenſior, tanto & ſitis aridior. O piiſſime *Deus:* quanti ſiti æſtuant homines bonorum temporalium, opum, deliciarum, honorum, quam ſitibundus anhelat auarus ad nummos, ſuſpirat ad delicias ſenſuales, exſpirat ad gradus honorum ambitioſus? Deſine mirarii, intenſus eſt enim calor internus concupiſcentiæ, qui exurit cordis intima. Quam dilucide alios vidit D. Ioannes ſpiculum infernalium aculeis vulneratos, ardore ſupremo concremari? *Æſtuarunt homines æſtu magno.* Vidit quoque cæleſtis aquila totum mundum adſpirantem ſitique deficientem quæ ex ardore nimio concupiſcentiæ feruentius incaleſcit. *Omne quod eſt in mundo, aut concupiſcentia carnis eſt* &c. Pietatis ſuæ oculis nos Deus intuens, noſtram dolet miſeriam, & hoc agit, vt nobis ſalutis condicatur remedium. *Omnes ſitientes.* In Hebræo ponitur interiectio dolentis, vel compatientis: *Heu qui ſitiſtis.* Septuaginta poſuerunt illam notam, quaſi compatientis cordis Dei. *O ſitientes:* venite ad ſitis veſtræ refrigerationem, *Venite ad aquas.* Quomodo Domine illas das? emptas. *Venite & emite.* Quid hoc Domine, illo verbo totum reuocas, quod nobis addixiſti, *Venite, & emite:* Perſpicuum eſt ait D. Auguſtinus quod audiendo, emite, ſtatim infers pretium requiri, quoque res vendenda pretioſior, eo magis augendum ſit & pretium. Si domum inhabitandam, aut

Iſ. 55. 1.

1. Ioan. 2. 16.

Apo. 16. 9.

D. Au. Ser. 2. et diuerſis c. 3. & 4. T. 10.

aut hortum, aut triticum emere ſit voluntas ilico, cogitas de pretio, & comparationem facis pretii cum re emenda, quod eo debet magis creſcere, quo res emenda pluris æſtimatur; aiſque, hoc illo carius venditur. *Quæ magnum habent pretium, cara dicuntur, nec fruſtra., aſpice conſuetudinem ſermonis veſtri, carius eſt illud, quàm illud: Qui eſt, carius eſt, niſi pretioſius eſt?* Si clamas Domine, emite: ſtatim nobis curandum de pretio, & tale parandum, qualis eſt res quæ vendenda appenditur. Dic nobis ad quid emendum nos inuitas? *Vinum & lac.* Sub figura vini & lactis, nobis ſuas propinat diuitias, theſauroſque cæleſtes. Venite, emite peccatorum remiſſionem, dona mea, gratiam meam, regnum meum, imo meipſum. O Domine Deus: quod rebus hiſce tam pretioſis æquale poterit pretium inueniri? *Omne aurum in comparatione illius arena eſt exigua, & tanquam lutum æſtimabitur argentum in conſpectu illius.* Ne conqueraris, nec anxieris multum, ait Dominus: licet enim proclamem, *Venite, emite*: emptio tamen fiat ſine pretio. *Emite abſque vlla commutatione.* Comparare ſine pretio? Vtique. Rogat etenim illud in pretium, quod inter homines habetur, non pretium. Quod (amabo) eſt hoc? Voluntas tua.

Sap. 7. 9.

D.Au. Humana conſuetudine (inquit D.Auguſt.) non cenſetur illud pretium, rem aliquam velle, amare, optare: quinimo exploderetur, qui illud in rei venalis offerret pretium. Si domum accederes aurifabri, opus empturus auro gemmiſque affabre elaboratum: Domine, diſtrahe mihi illud opus. Quod appendes pretium? Domine, velle me hoc. Quàm mentis inops videreris. Si in officina quadam tela tibi arrideret argentea, pulcherrima; intrares, Domine pretium eius telæ mihi ſtatue, alter vero: quod offers pretium? reſponderes, Domine, verè & ſyncerè eam mihi millies opto: quod de te ferrent judicium? Hoc, velle rem quampiam, eiuſdem non eſt pretium, nec ob hoc exponitur venalis: ſed hoc emptioni præſupponitur, quod eam emere non ſtudeas, niſi prius illam volueris. O Fratres (inquit D.Auguſt.) Deum audite vos inuitantem, vt ematis: & qui vos præmoneat, ne terreamini, licet nec aurum nec argentum ad emendum, dandumque in pretium habeatis: nullum enim aliud à vobis expoſcit, quàm veſtram voluntatem. *O Fratres, ô filij, ô Catholica germina, ô Sancta & ſuperna ſemina, ô in Chriſto regenerati, & deſuper nati, audite me.* (clamat D.Auguſt.) *Deus de compendio ſe nobis offert, clamat nobis Amate me, & habebitis me.* Hoc ſolum intendit: *Vis?* Iuſtè quidem, hoc enim vobis maximè proprium eſt, voluntas veſtra, quam vobis Deus liberam reliquit, vt de illa & cum illa, quod placuerit, perficiatis. *Poſuit Deus hominem in manu conſilij ſui &c. ad quodcumque voluerit porrigat manum.* O ſi tantillo pretio vobis terrena, (inquit D.Auguſt.) venderentur. O ſi volendo tantummodo illa conſequi poſſetis. Illud igitur quod in vilibus iſtis, ſordidis, caducis, terreniſque non poteſtis opibus, hoc in cæleſtibus, Diuinis æterniſque poteſtis adipiſci theſauris; ipſe quippe Deus adeo adſtat paratus, vt dicat *Quoties volui.* Tu ille es, qui vltro tibi condicta reſpuis, *Et noluiſti.*

D.Au. Ser. 2. de div. c.3. & 4. T.10

Eccl. 15.14

## §. 13. *Non ſanaris: quia non vis abſoluta voluntate, vt mulier prægnans, de qua Ezechias.*

OBiicies, non dico, Pater mi, me nolle, abſit à me talis impudentia, non ſum enim ita mente captus, quod ipſe proprium meum bonum me nolle confitear quod benigna manu mihi Deus offert vltroneus, tantum illud dico, quod modo non; ſed tempus mihi ſtatui, & breui peccatis me expediam, agam pœnitentiam. O Chariſſime, melius nouit Chriſtus, qualis ſis, & diſtinctius te cognoſcit, quam tu teipſum, ne Deo te poſſe præſumas imponere. Tu illud, vt placuerit, appelles, apertè ipſe tibi improperat. *Et noluiſti.* Ad illas nuptias magni Regis expenſis præperatas, varios juſſit inuitari, & ait Euangeliſta, dum eos miniſtri vocarunt, abſit vt tam inhumanè reſponderent, ſe regis oblatum beneficium dedignari, ſed *Cœperunt omnes ſimul excuſare. Primus dixit ei: villam emi, & neceſſe habeo exire & videre illam, rogo te habe me excuſatum: Et alter dixit, juga boum emi quinque, & eo probare illa, rogo te habe me excuſatum &c.* Renuntia Regi: fateor mihi à te magnum præſtari beneficium, at rogo pro hac vice habeat me excuſatum: non ideo eſt, quod nolim illud recipere, nec tanti, quanti juſtum eſt illud faciam, ſed quia modo mihi non eſt opportunum illud accipere. *Rogo te, habe me excuſatum.* Refert alius Euangeliſta eandem parabolam, & de inuitatis ſic ait: *At illi neglexerunt.* & quiſque aperta voce reſpondit, dic Regi, me nolle venire: *Et noluerunt venire.*

Luc. 14. 18

Matt. 22.

Attende tibi, quæſo ô Euangeliſta, nolle

 venire,

venire, nec acceptare præparatas à Rege delicias, non fuit illas dedignari, vilipendere, illas nolle, ſed rationes obtendere ob quas modo illis non eſſet integrum venire, & aliis ex cauſis ad nuptias non properare. Scito tamen, quod licet ſuperficialiter hoc ita ſit, ſubſtantialiter tamen, & in rei veritate, fuit, nuptias illas aſpernari, flocci facere, & nolle: cum pluris facerent proprias delicias, iuga boum, vile lucrum matrimonium, quàm ea omnia, quæ Rex illis offerebat. Proinde licebit notare, quod eodem modo Regem offenderint, ſeſe excuſando, & ſic ſe rex credidit dedecoratum, ac ſi inuitatus quiſque clara ei voce dixiſſet: tuum reſpuo conuiuium, nihil facio quidquid mihi condixeris: ſit tua tibi cœna, illis tu fruere deliciis. *Neglexerunt, & noluerunt venire.* Hoc eſt, quod reipſa Deo replicas; dum te gratia ſua, ſalute animæ tuæ, miſericordia ſua, donis ſuis, ſuo cælo, ſeipſo denique benignus inuitat. *Nolo*, quid enim remoratur, quod peccatis tuis nuntium non remittas? cur ſceleris illius tam diuturnam, tamque periculoſam non curas infirmitatem, qua te diabolus detinet alligatum? Quid tibi eſt impedimento cæleſtem non fieri Seraphinum? quis malus te genius accendit infernitionem? An tibi Deus non propinat ſalutem, vitam, indulgentiamq; iuſtificationem & gratiam? Prompta ſemper eius eſt voluntas, numquam non ipſe te ad nuptias inuitat. *Hæc eſt voluntas Dei, ſanctificatio veſtra. Deus vult omnes homines ſaluos fieri.* Solum tu velis.

Quia non vis, ait D. Chryſ. illa non obtines. Non vis voluntate efficaci, *Sufficit ſi velis, vt oportet, & facias ea, quæ ſunt volentis.* eodem modo velis, quo cætera vis. Reſponde mihi. (inquit D. Chryſoſt.) dum in vxorem ſumere laboras puellam prædiuitem, ſufficitnè tibi, te illam velle? Nequaquam, inſuper & quæris, qui illud negotietur, rogas, diſponis te, te præſentas paratum iis omnibus quibus poſſis eam recreare, prodeſſe, auxiliari. *Rurſum mercator, non domi ſedens contentus eſt, quod velit, ſed & nauim conducit, & nautas, & remiges eligit, & pecuniam dat fœnori, & de agris, & rerum venalium pretiis curioſe inquirit. Qui enim vult vt oportet, res quoque tangit, quæ conducunt ad id, quod vult: nam quia eſurire neceſſitatem affert, vt alaris, non expectas, vt cibi ad te ſponte ſua veniant, ſed omnia facis, vt cogas alimentum: Hoc etiam fac in regno & id omnino conſequeris.* Non vis voluntate firma ac ſtabili, ſed hoc tibi Spiritus S. verbum conuenit. *Vult & non vult piger.* Quantumuis malus ac piger quis ſit, quando ei offertur ſementis meſſis abundantiſſima, lucrum immenſum optimi mercatus, vult, & acceptat: attamen dum ſibi manus cernit mouendas, mane ad lucis ortum exſurgendum, mollem lectulum deſerendum, dies tranſigendos laborioſos, noctes ducendas inſomnes, deliciis ſuis renuntiandum, non vult.

Ita D August. ſeipſum deſcribit, in ſuæ conuerſionis principio, quaſi mulierem prægnantem, hærentem, ſuſpenſum inter velle & nolle. Nihil magis videbar deſiderare, quam nuntium remittere male anteactæ vitæ meæ & tandem nihil agebam, inuolutus peccatis hærebam, & quaſi captiuus; non vinculo ferreo ſed ferrea mea voluntate, vitiis alligatus detinebar. Hoc quoque tibi contingit, imo idipſum quod ait Rex piiſſimus Ezechias certiſſimo expoſitus periculo in Hieruſalem, vrbem enim Sennacherib graui premebat obſidione: *Dies tribulationis & correptionis.* Quare? *Filij venerunt ad partum, & virtus non erat pariendi* Nullum euidentius mortis periculum mulieri poteſt imminere prægnanti, quàm ſi partus horâ, viribus ad pariendum deficiat: neceſſitas enim incumbit, aut pariendi, aut moriendi, ſi viribus non vigeat fœtum eiiciendi. Hæc tua eſt ô peccator, calamitas, peccatum anima concepiſti: adeſt quadrageſima, tempus pœnitentiæ, aut quo te Deus ad frugem monet meliorem, rogat, *Vis ſanus fieri!* Aut pariendum, aut moriendum. Quod ſi hanc malam voluntatem qua illud concepiſti non eiicias, moriendum in æternum. Deplorandum, quod non erat virtus pariendi. Voluntate non polles forti, firma, reſoluta, quâ fœtum peccati foras enitaris.

Domine: hæc mea eſt voluntas, illius renuntiare familiaritati, ſat ſcio hac me Deum grauiter offendere, verumtamen ex nimia voluptate eam deſidero, & ſine illa viuere, mihi eſt impoſſible. Hoc opto aliena reſtituere, dum me his grauatum ſentio ad inferna demergendum; attamen dum operi incumbo, & id reiicio quod vt meum retinebam, deficiunt vires. O ter quaterque infelicem; cui deeſt voluntas fortis animoſa; cum igitur creaturam non remittas, non eiicias, in æternum morieris. Hoc ipſum omnes in inferno mortuos occidit. Deſcende in infernum viuens, illic licebit viſere Iudam proditorem, qui partus doloribus anxius, commiſſo traditionis ſcelere, huic & illi queribundus, parturire peccatum velle videbatur; *At virtus non erat pariendi.* Vires non habuit ad agendam veram

*Lib. 2. Conf. c. 3. & lib. 8. c. 7. & 11.*

II. Efficax voluntas requiritur.

*Iſai. 37.*

*Matth. 25.*

veram pœnitentiam, crimen ſuum agnoſcendum, de Dei miſericordia confidendum. Intuere Herodem, peccato luxuriæ demerſum, vt Baptiſtam audit detonantem, parturiebat, vt à ſe procul eiiceret inceſtum ſcandaloſum, vxorem
Marc. 6. 20. fratris ſui: *Herodes metuebat Ioannem, ſciens eum virum iuſtum & ſanctum, & cuſtodiebat eum*: hoc eſt: eum venerabatur: *Et audito eo multa faciebat, & libenter eum audiebat.* Attamen delicijs ſuis ineſcatus, & affectione maleſuada pellicis ſuæ Herodiadis intoxicatus: illam manu mittere vel ſcandalum non valuit ablegare: *Non erat virtus pariendi.*

Quàm bono deſiderio prægnans adoleſcens ille diues, dum Chriſtus ei hanc perfectionis viam prædicat: *Si vis perfectus eſſe vade, & vende omnia quæ habes & da pauperibus.* Dimiſſo
Marc. 10. 22. Luc. 18. 23. capite diſceſſit multum contriſtatus: *Contriſtatus eſt valde: erat enim multas habens poſſeſſiones:* Ex parte vna promiſſi perpendit magnitudinem in futurum: *Habebis theſaurum in cœlo.* Ex altera vero diuitiarum ſuarum gazas immenſas in præſenti. *At virtus non erat pariendi.* Quàm fœtu grauidus Pilatus, dum Chriſti perpendens innocentiam, & telam quam contra eum Iudæi ordiebantur, ex mera & inſita cerneret prouenire malitia, inuidiaque eos contra Chriſtum eſſe ſtimulatos, cum è manibus eorum ſtudet eripere, hinc populi ſeditioſi tumultum veritus, & Cæſaris perditurus amicitiam ac beneuolentiam, retrocedebat imbecillis: proinde: *Non erat virtus pariendi.* Mulierculam domo eliminare, aliena reſtituere, ſunt qui velint, ſed animo deficiunt, concidunt illis vires, vt hoc mandent executioni: *Non erat virtus pariendi.* Ponderat D. Auguſt. ex Origene quod Moyſes & Aaron, ac ſeniores Iſrael mandarunt Pharaoni: *Deus Hebræorum vocauit nos, vt eamus viam trium dierum in ſolitudinem.* Habet hoc trium dierum iter quod conſideremus, ait D. Ambroſ. hos quoque Deus ab Abraham requiſiuit. Tres dies, qui ſunt? Reſpondent Origen. & D. Aug. cogitatio, verbum & opus Ægypto eiuſque tenebris excedere, ſed non hoc te reddat ſecurum ſed iter capeſſe trium dierum: *Venientes ad Chriſtum per ipſius gratiam, relinquamus opera tenebrarum & bene cogitando, & bene loquendo, bene operando viam lucis currere feſtinemus* ait D. Aug. quid hoc eſt? cordis contritio, oris confeſſio, & operum ſatisfactio. Hanc viam triduanam ingrediamur, ait D. Auguſt. *Obſides inimicus, ſicut de Pharaonis exercitu legimus: electos aſcenſores ternos ſtantes demerſit in mare rubrum.* Notat

Hom. inc. 5. Exod. c. 13.

D. Au. Ser. 90. de tem. To. 10.

lectionem, quam habet D. Hieron. legunt alij: *Electi aſcenſores triſtatæ.* Alij: *Ternos ſtatores.* Et addit idem D. Hieron. *Triſtatæ autem nomen eſt apud Græcos ſecundi gradus poſt regiam dignitatem, de quibus ſcriptum eſt. Veruntamen ad tres primos non perueniſt, qui principes equitum, peditumque erant, & tributorum; quos nos magiſtratus vtriuſque militiæ, & præfectos annonarij titulo nominamus.* Orig. legit *Terniſtratores.* Et ad rem declarat Euthymius.

*Iuxta ſeptuaginta legitur: lectos aſcenſores triſtas demerſit in mari rubro. Triſtas dicit, eo quod tres in eodem curru conſidere ſolebant, & vnus quidem currum agebat, habenaſque moderabatur: reliqui autem duo aduerſus hoſtes decertabant.* D. Gregor. Nyſſen. ait, quod illi tres *Erant electi Principes pugnatores.* O Pharao, te prodictorem. Tres in tres. Quidam, qui primum impediunt motum voluntatis, nimirum ob offenſam Dei pœnitere. Alij crimininm exomologeſim. Sed tertij alijs fortius vires exerunt, vt operibus obſtent ſatisfactionis. Hic neceſſe eſt, *Vt deficiant peccatores, ſicut Triagi Pharaonis in tertio ſigno.* Voluntas non impeditur, cum tres illos non habeat actus. Illic laborabant alij ſementem euertere Iſraelitis. Cum vero illud jam non ſuccederet, nituntur, vt herbam tantum producat nec in ariſtas excreſcat fructus ſementis. Eia igitur, ſit cum integra perfectaque voluntate, qualem habet Deus. *Hæc eſt,* 1. The. 4. 3.
*voluntas Dei, ſanctificatio veſtra.* Si adhoc neceſſe fuerit, vocare te, monere te, in cruce pendulum emori, ſanguinem ſuum profundere. Hæc eſt voluntas. In hoc autem capies, num eadem tibi, quæ Deo, ſit tuæ voluntas ſanctificationis. Num ſanguinem profundis? num in cruce ſuſpenderis, ſi occaſio hoc exigat vt peccata relinquas, ô ſi hac integra non animeris voluntate, viam non ingrederis triduanam, quam tua requirit ſanctificatio.

II. Pharaonis exercitus in triſtas erat diuiſus. D. Hie In c. 33 Ezech. Tom. 5. 1. Par. cap. 11 Exod. 15. Euthy. Apud ſſ Leppom. Exod. 14.

Erat D. Thomæ Doctori Angelico ſoror germana Dei famula, & vt talis, de negotio ſemper ſuæ agebat ſalutis. Contigit D. Thomam quondam ad ædes ſororis diuertere: cui illa ſtudiſe. Dic mihi frater (amabo) cum te diuitiis humaniſque affatim omnes inſtructum litteris habeamus, quæ mihi pateat ſalutis via? *Quid faciendo vitam æternam poſſidebo?* Reſpondet ille. Deſiderando: volendo. Tanto quippe Deus noſtræ ſalutis ardet deſiderio, vt ipſe, quantum in ſe eſt, ſemper nos inuitet, gloria illa cœleſti, & quod à nobis poſtulat, hoc eſt: *Tu ſanus fieri?* vt velimus. Non hoc exigit

vt in vltimos Indiarum receſſus proficiſcaris theſauros auri inueſtigaturus, nec aquarum abyſſis innunderis gazarum deſiderio vrinator, nec cœlorum nubes calces, vt inde tibi ſalutis adducat remedium. Nequaquam: *Mandatum hoc* Deut. cap. 30. 11. *quod ego præcipio tibi hodie, non eſt ſupra te neque procul poſitum, nec in cœlo ſitum, vt poſſis dicere. Quis noſtrum valet ad cælum aſcendere ut deferat illud ad nos &c. Sed Iuxta te eſt ſermo valde in ore tuo, & in corde tuo, vt facias illud.* In voluntate tua, in corde tuo, *Vis ſanus fieri?* Tantummodo tu velis, nec aliud vlterius exſpectandum: Iam enim mea præceſſit voluntas, qui enim tibi condicit ſalutem, inuitatque, tibi quoque illam dandi, ne dubites, habet ipſe voluntatem.

§. 14. Hominem non habeo. *Qui confidit in homine, non ſanatur: pauperem enim fugit, vt aues, & animalia ex arbore deuolant concidente.*

39 RESpondet Chriſto paralyticus. *Domine hominem non habeo, vt cum turbata fuerit &c.* Chriſtum honorat *Domine.* Tanta enim in humili illo ſchemate radiabat maieſtas, eiuſque Diuina ſub viſi illo habitu relucebat eſſentia, vt illo, ad ſummam omnes moueret venerationem Sibi ille vt puto perſuadebat, ſe a Chriſto in procuranda ſalute redargui negligentiæ: cum credere vix poſſit quis, tanto annorum curriculo non ſanandum, ſi ſolummodo voluiſſet, & quæ ſunt volentis, effeciſſet. Proinde reſpondet Chriſto: Domine mihi hoc nequaquam imputandum, non ego culpæ reus, nec meæ defectus eſt voluntatis: hic enim jam hic triginta & octo annis detineor immobilis: ſed deeſt manus auxiliaris: O miſeram ſortem meam, *Hominem non habeo*, qui mei miſertus, ad Angeli deſcenſum, motumque piſcinæ, aquis intromitat certo reparandum. O chariſſime, ventos colis, infirmus es, inops es & hominem præſtolaris: nedum habebis adiutorem, ſed nec qui te vel ſemel conueniat, quinimo, vt peſtem omnes deteſtabuntur: nulla enim grauior hominibus lues quàm infirmitas indiga, & indigentia infirma. Celebrem celebro Regis Nabuchodonoſor arborem in ſomnis præoſtenſam: voluit enim Deus illi ſignificare per ea quæ in illa videret, quid ſibi futurum præſagiret. Arborem vidit excelſam. *Proceritas eius contingens cœlum, aſpe-* Dan. 4. 8. *ctus illius erat vſque ad terminos vniuerſæ terræ folia eius pulcherrima, & fructus eius nimius. Subter eam habitabant animalia & beſtiæ, & in ramis eius conuerſabantur volucres cœli.* Videt & ecce exſcindunt arborem, ad primam autem aſciæ percuſſionem, commouentur aues, turbantur animalia: Tandem præciſa ecce concidit arbor diſperſis fructibus, præciſis ramis, foliis excuſſis, extemplo cunctæ diſperguntur aues, animalia gregatim feſtinatoque diffugiunt, arborem deſerunt, amplius non reuerſura, ſed nec ſemel eam intuitura. Hoc autem Deus Monarchæ regi præſignauit, quod futurum præſciebat: dum ſolio ſederet excelſus regali, diuitiis, poteſtate, auctoritate venerandus, ad illum ex quatuor mundi partibus, totus concurrebat populus, nobiles, plebei, diuites, pauperes, ſapientes, ignorantes, viri ac mulieres, omnes eius ſubditi ditioni, munera deferentes palpantes, oreque blandientes, omnes proni, venerabundi. Quâ horâ excidit imperio, poteſtate diuitiis, cunctos videas preſſim ac cateruatim diffugientes, ſic vt intra ſeptennium, quo deiectus imperio vt brutum vixit animal, ne vnus quidem eum videre dignaretur, ſi Deus de cœlo in eum benignus ſuos oculos minime deflexiſſet. I. Allegoria.

Quotidianum eſt hoc in mundo, & ſicut nihil magis eſt frequentatum quàm in autumno arbor fructibus grauida, quæ illos accedentibus offert decliuis, ita quoque nihil magis deſertum quàm hyemali frigore foliis nuda, ac ſpoliata fructibus arbor, ſic etiam vt eam videre dedigneris. Hanc in ſe mutationem expertus lamentatur Iob. *Fratres mei præterierunt me, ſicut torrens, qui rapitim tranſit in conuallibus.* Quo non Iob. 6. 15. impetu decurrunt de torrentibus aquæ, dum inoffenſo fluunt curſu? Talis erat infelix Iob: dum enim direptis bonis, deprædatis animalibus, diſperſis gregibus, ſeruis interemptis filiis oppreſſis, lue contagioſa ſordidus ſederet pauper in ſterquilinio, nihil habet homines, amici præterit cui innitantur ac ſubſiſtant, eum vt ipſam mortem deteſtati. O te inauſpicatum, Paralytice: pauper langues & infirmus, & hominem quæris: Inſuper & hoc tuis accreſcit miſeriis, quod gemis maditus, cum homini confidas, Hier. c. 17. 5. jam enim prædixit Deus. *Maledictus homo, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium ſuum* 40 Hanc pariter calamitatem Hieruſalem ſuperueniſſe deplorat Hierem. *Defecerunt oculi noſtri ad* Tren. 4. 17. *auxilium noſtrum vanum, cum reſpiceremus attenti ad gentem, quæ ſaluare non poterat.* Alludit hi- Ezech. 23 ſtoriæ de qua vates Ezechiel. Sicut enim conſueuimus habere tapetes, ſeu aulæa Babylonica quibus geſta intexebantur præclariora Romanorum,

manorum, aliarumque facinora gentium: ita Iudæi Hieroſolymis ſtragula appendebant, quibus acu picta viſebantur facinora, victoriæ, triumphi, trophæa, exercitus, actaque Chaldæorum. Vt ſe tribulationibus atteri, ab inimicis vrbe concludi, viribus ad reſiſtendum hoſtibus, deficientes lamentabantur: oculos ſuos ad viros illos in parietibus depictos conuertebant, viros robuſtiſſimos, inuictos, & omnibus ſuperiores; quales verè ſibi Chaldæos eſſe perſuadebant. Proinde ad illos recurrebant poſtulantes auxilium, ſed dare non poterant: erat enim eorum virtus modica & infirma; neſcia liberare. Indicauit hoc propheta his verbis: *Auxit fornicationes ſuas. Cumque vidiſſet viros depictos in pariete, imagines Chaldæorum expreſſas coloribus, & accinctos baltheis renes, formam ducum, &c. inſaniuit, ſuper eos concupiſcentia oculorum ſuorum, & miſit ad eos nuntios in Chaldæam.* Hæc deploranda noſtra (ait Vates Hieremias) calamitas, quòd oculos noſtros conuertamus *Ad auxilium noſtrum vanum.* Quam bona tibi nux illa videtur, quæ ſonum edit, diceres plenam eſſe nucleo? ſed inanis ſed vana eſt; tales fuerunt & illi: colores illi varij viros ſignabant robuſtiſſimos, potentiſſimos, inuictos, in lino candido mundoque depictos, ſed elumbi, ſed inertes, ſed in ſeipſis erant impotentes. Decepit illos exterior illa colorum pictura: proprium namque eſt arti pictoriæ, fallere, teſte Spiritu ſancto. *Induxit nos hominum malæ artis excogitatio nec vmbra picturæ.* O ſiniſtro ſidere nati, num in depicta coloribus confiditis fortitudine? Num in pictorum hominum robore ſpes veſtra ſolidatur? *Multos in errorem induxit malæ artis excogitatio.*

Ezech. 23. 14.

Sap. 15. 4.

Morbo hic quidam contabeſcit, intelligit in tali regione medicum commorari ſapientiſſimum, expertiſſimum: huic totus innititur. Alter, perplexis im[m]iſtus litibus, aduocato confidit, quem externis nouerit omnibus bonis diſciplinis eruditiſſimum. Alius dignitatis canditatus, illi totum ſuum committit negotium, quem videt Regi familiarem, ac lateralem. Te nullus infelicior. In illud tu flectis oculos, quod tibi ſecundum exteriorem veriſimilitudinem videatur quid tam magnum? Intuere? *Imago eſt depicta per varios colores,* homines ſunt, & quidquid magni fecerint, infirmitatis tibi nullatenus poſſunt conferre remedium, nec litibus tuis ſecundum euentum, nec ambitioſo tuo ſatisfacere deſiderio, ſi Deus non faueat, non opituletur. Hæc illa fuit mentis inſania Regis Aſa: dum enim dolore pedum ægrotaret acerbiſſimo, Dei ſui non eſt recordatus, ſed ad celeberrimos confugit medicos, at deluſa eſt ſpes eius, nec Regem curare valuerunt. *Nec in infirmitate ſua quæſiuit Dominum, ſed in medicorum arte confiſus eſt:* Quo rea nullum reperit auxilium & miſer exſpirauit. Vnde ob eandem rationem, vt retulimus ex D. Auguſtino. Diſtulit Dominus ad biennium Ioſephum de carceribus ſolutum in priſtinam aſſerere libertatem quia plus æquo confidit pincernæ Regis ſuæ negotia libertatis. Dauid, cui nobis confidendum? Deo. *Sperate in eo omnis congregatio populi, effundite coram illo corda veſtra. Deus adiutor noſter in æternum* Vnicum video, ait Pſaltes Regius, quod perdat homines, eiſque eſt cauſa calamitatum: *Verumtamen vani filij hominum, mendaces filij hominum in ſtateris,* &c. Quæ, eheu homines capit dementia, tota vita in ponderando, & reponderando tranſigitur. Quis mihi in hoc fauebit? Quod illi conſequendo medium efficacius? Appendunt ſtateris, toti ſtudent huic negotio, quis noſter adiutor cæteris magis opportunus, & heu miſeri, ſe gemunt defraudatos: *Vt decipiant ipſi de vanitate in idipſum.* Sperant in hominibus, ipſa vanitate: hæc autem quid poteſt operari, cum deſinit illi vires, & ſit inualida. O pauperum paralyticum, in homine confidis? eius tibi ſperas auxilium? illo fruſtraberis trecentis annis, vt iam triginta & octo annis præteritis, te deluſum ingemiſcis.

2. Paral. 16. 12.

Serm. 88. de temp.

Pſ. 61. 8.

### §. 15. *Magnus hominum, defectus, multos vocat Deus mulieres, & de hoc conqueritur Amos, & admiratur Hieremias.*

ALio iam modo verba hæc conſideramus: *hominem non habeo;* Quòd mihi piſcina non opituletur, cuius adeo perſpicua 41
cunctis virtus innotuit, hoc crediderim, quia hominem non habeo validum, robuſtũ tantiſq; viribus potentem, vt me brachiis ſuis ſublatũ, graue onus, in lacum deiiciat. Ecce vnde tot decumbant infirmi: multiq; triginta & octo annis ſuis in miſeriis hæreãt exſpectãtes, quia hominem non habent, id eſt, doctũ Confeſſarium, qui tantum nouerit vſurarum tricas nodoſq; expedire gordianos, tuas fraudes, tuas laruas, technas tuas reſerare; Homo ſit ſincerus, Dei hono-

æmulus, qui tibi libertimè dicat. non te abſoluam, niſi primùm ablata reſtitueris; tibi quoque fornicario, niſi teipſa ſcortum expuleris, ac hoc mihi certò conſtet, quòd de ſpurco illo luxariæ cæno totus exſurrexeris; non te abſoluero. Tibi vero, vindictæ cupide, comminetur, te diabolus auferet ſibi prædam, pullum inferni: nec te præter erat, honorum titulis glorioſe. tuæ non ſunt tyrannides tolerandæ. *Hominem non habeo.*

Quando Iethro Moyſen conuenit, eumque tribus virorum millionibus, eorumq; negotiis vidit intricatum, ſedentem iudicem, eorum cauſas expediturum ait: *Vltra vires tuas eſt negotiũ, ſolus illud non poteris ſuſtinere.* Hoc vnius viri non eſt negotium. *Prouide autem de omni plebe viros potentes & timentes Deum, in quibus ſit veritas & qui oderint auaritiam, & conſtitue ex eis tribunos & centuriones, &c. qui iudicent populum omni tempore, quidquid autem maius fuerit, referant ad te.* Optimum hominis gentilis conſilium, qui minus ſcribat, quam Moyſes Nota (ait Caietanus) quas requirat qualitates. Prima *Viros potentes non mulieres. Viros valoris*, dicit Caietan. quo verbo Pharao vſus eſt, dum Ioſepho præciperet. *Quod ſi fratres eius eſſent viri valoris conſtitueret eos ſuper pecora ipſius*: Vbi habet vulgata lectio: *Quod ſi noſti in eis eſſe viros induſtrios conſtitue illos magiſtros pecorum meorum* Alij legunt. *Viros virtutis*: viros magnanimos, qui *Non timeant vultum potentis*: Quos minimè perterreat, ſtare coram orbis totius Monarchis. Secunda. *Timentes Deum.* Honoris Dei zeloſi. *Prima virtus requiſita* (ait Caietanus) *ad principem vtriuſque ordinis; eſt timor Dei.* Tertia. *Sapientes, in quibus ſit veritas.* Qui veritatẽ loquantur, tractent, ſciant, intelligant. Quarta. *Qui oderint auaritiam*, mundis auro manibus His conditionibus præditi ſummis Pontificis eligantur coadiutores, & in adminiſtratione ſacramentorum miniſtri Epiſcoporum. Nec ipſe Papa nec ipſe ſolus Epiſcopus poteſt omnibus vnus ſufficere; quos autem ſibi debent eligere adiutores, & miniſtros, vt eorum ſuppleant munera, hi iſtis oportet, qualitatibus emineant commendati: hanc quoque non minoris momenti ſeruent conditionem: *Quidquid autem maius fuerit, referant ad te.* Si quando eis caſus aliquis grauior, intricatior, obuenerit qui ſcientiæ eorum ſuperet capacitatem, referant ad ſuperiorem, ei reddant rationem; quod de caſibus intelligo reſeruatis: decet enim eos in omnibus eſſe accuratiſſimè conſummatos, ne alicubi (quod abſit) ſuis deſint muneribus incapaces. Quia verò pluribus Dei miniſtris hæ conditiones deſunt requiſitæ, hinc tot lugemus infirmos, tot grauiſſimos dolemus eſſe peccatores.

Exo. c. 18. 13.

Caietã.

Gen. 47. 6.

I. Quales ſint oportet Epiſcopi miniſtri & confeſſarij.

Populus Dei in diebus vatis Ezechielis captiuus detinebatur iugo preſſus ſeruitutis: Vocat Deus Ezechielem, quæritque: Noſtin' vnde tantum malum? quia hominem non habent. Non Domine? Video tamen ego prophetas plurimos, ſacerdotũ greges, Doctorum turbam copioſam. An hi homines non ſunt? Hoc ſcias velim ô propheta, horum nullum eſſe hominem, mulieres ſunt omnes. *Pone faciem tuam contra filias populi tui.* Tantam in populo deploras calamitatem: mulierculis illis indigneris. Qui ſunt, Domine? Prophetæ illi & ſacerdotes, qui licet homines eſſe videantur, ipſis mulieribus ſunt infirmiores, indoctiores, debiliores, potentioribus faciem non opponunt, contra molles ac effœminatos non inſurgunt, brachia vireſque non exerunt vt arguant impudentes, muneribus precibuſque eneruantur. Eodem eos nomine compellat Iſaias, eorum prædicens caſum miſeramque prædicatorum ruinam. *Conterentur mulieres, venientes & docentes eam.* A quo tempore docent, prædicantque mulieres? Non de ſexu mulieribus eſt ſermo, ſed infirmitate, puſillanimitate; quales multos videmus prædicatores atque Confeſſarios: qui virilibus non pollent brachiis, ſed ipſis mulieribus ſtertunt abiectiores, molles, leues, retuſa acie. O dolor! Animabus condolendum pereuntibus, quia homines non habent, ſed viros, ſed homines, mulierculas.

Ezec. 13. 17.

Iſa. 27. 11

Hoc plangebat ſpiritus Dei per prophetam 42
Amos, noſtro loquendi modo, vt notat D. Hieronymus: *Audite verbum iſtud quod ego leuo ſuper vos planctum, domus Iſrael.* Audite, rem triſtem; quæ mihi planctum lachrimaſque extorqueat, & ſuſpiria in cœlum, planctum doloroſum, nænias lugubres. *Leuo ſuper vos planctum*: Quid cauſæ ſubeſt, cur talis nobis Deus deſcribatur? Quid habes, Domine mi? Quis te contriſtauit, quis ſic afflixit? Num te vel percuſſerunt inimici, vel læſerunt hoſtes tam grauiter, vt in hæc te effundas lamenta, gemituſque miſerandos? Non me, ſed vos plango, *Super vos.* Quæ verò noſtra tanta poteſt eſſe calamitas, tanta miſeria, quæ ſic cor tuum affligat, planctũ eliciat, funebremque cauſet eiulatum? *Domus Iſrael cecidit, & non adiiciet vt reſurgat, virgo Iſrael proiecta eſt in terrã ſuã, & non eſt qui ſuſcitet.* Ad literam loquitur de ſynagoga, quam ob fidei integritatem, vocat virginẽ, filiam illuſtriſſimorum

Amos 5. 2. Ad hunc locum.

rporum Principum Abraham Iſaac & Iacob: Allegoricè verò de anima Chriſtiana nobiliſſima, Deo chariſſima filia. Duo mala virginem illuſtriſſimam oppreſſerunt, filiam meam, de ſtirpe mea progenitam. Primum cecidit in volutabrum, nec agit, nec ſe mouet, nec vel paruâ, aut magnâ conatur diligentiâ de luto reſilire. *Cecidit, & non adiciet vt reſurgat.* De quolibet meritò ſtuperemus, qui in ſpurciſſimum limum lapſus exire non conaretur, ſed & ipſe Deus hoc vt impoſſibile indicat, & Vati ſuo mandat, hanc proponat quæſtionem. *Numquid qui cadit, non reſurget?* quanto magis cuncti & mirarentur & hærerent attoniti, ſi virgo in cœnum lapſa non reſurgeret; amant enim virgines munditiem, ſordes horrent, lutum abominantur. Secundùm, quod cum fœtido inhæreat luto, hominem non habeat, qui propius accedat, ſuauiter extrahat, colloceta; liberam. Quàm afflictus gemeret rex, cuius filia vnica, eaq; chariſſima, in lutum ſpurciſſimum, putridumque laberetur, & de eo reſurgere, licet à patre vocata renueret], diceretque, hic, volo luto immerſa jacere: ſi vero poſt puſillum diceret volo reſurgere; ſed non eſſet quieam leuaret: quia ad hoc nullum alium requireret, aut admitteret, quàm famulum, claudum, cæcum mutilum, elumbum, quo conante eam ſuſtollere, ambo in cœnum relaberentur. Facinus deplorandum! Hoc tibi ſignat Deus, anima nobiliſſima, Deo ſata, Dei filia, Dei naturæ particeps. *Genus cum ſimus Dei.* O quæ tua tanta calamitas, quæ ſpurciſſimo peccatorum lapſa volutabro, ſcilicet ad oculos vſque immerſa, hoc male ſapiens, delectaris & ais. Hæc requies mea, hic habitabo, hic deliciabor. Te vocat Pater Deus, inclamat, inſpirat, pulſat: *Conſurge, conſurge excutere de puluere.* Tu vero aures occludis, lutoq; contenta deliciaris. An hoc verum non eſt, concubinarie. Quot jam annis putrido illo luxuriæ cœno inhæſiſti, ad Dei voces, & prædicatorum ſemper ſurdaſter clamores, nec horrendis territus nominibus, quibus te ſub jumenti ſymbolo deſcribit propheta tuo in ſtercore putreſcentem: *Computruerunt jumenta in ſtercore ſuo.* An hoc verum non eſt, fœnerator? Quanto jam tempore bonorum alienorũ luto demergeris, ſic enim opes tuas indigitat Habacuc *Denſum lutum.* Te illo circumuoluens, obſurdeſcens clamanti, comminanti, *Repetent animam tuam à te, & quæ paraſti, cuius erunt?* Miſerentur tui Sancti, ſuper te flent amarè cœlites (more noſtro loquimur) ſed & ipſe Deus plangens lamentatur. Attamen hoc ſummum tuorum malorum: *Non eſt qui ſuſcitet*

Hie. c. 8. 4

II. Similitudo.

Act. 17.

Iſa. 52. 2.

Ioel. c. 1. 17.

Hab. 2. 6.

Luc. 12. 20.

*eam*: qui luto merſam extrahat: quos enim ad manum habet ipſa paratos, homines non ſunt, viri non ſunt, mulieres ſunt, non ſpiritus viribus animoſi, non litteris inſtructi, non zelo feruidi, ſed cæcum cænum, ignorantes, claudi pedibus, in ſpiritu Deique amore tepidi, quibus non ſit animus fortis ſatis ad corripiendum & impœnitentibus, ac non diſpoſitis abſolutionem denegandam.

Hoc magnopere demirabatur Hieremias. *Stupor & mirabilia facta ſunt ſuper terram.* Quæ ſunt hæc prodigioſa? Num forte ſol retroceſſit? num vna de maioribus cœlo decidit ſtella? num exſiccatum mare? Nihil horum. Quid ago? *Prophetæ prophetabant mendacium, & ſacerdotes applaudebant manibus, & populus meus dilexit talia.* Quidam erant prophetæ mendaces, quidam ſacerdotes, qui omnibus blandiebatur, & feſtiui applaudebant; tales autem populus meus inquirebat, illiſque lætabatur, ô ſtupor, ô peruerſitas! Quis infirmus medicum quærit ignorantem? quis vulneratus qui nõ poſtulat, niſi chirurgum qui tantum ſanet ſuperficialiter, vulnuſque negligat cancro vlceratum. Quis actor, qui non admittat niſi aduocatum aut conſiliarium, qui juris leges non rimetur, non perſcrutetur? Si tales cerneres, quærentes medicos, chirurgos, aduocatos, an non mirareris? Te ipſum accuſa, qui tot morbis calamitoſus, non optas, non quæris niſi Confeſſarium ſurdaſtrum, ignorantem, blandientem, qui dicat: *Pax pax, & non erat pax.* Inuerſa diligentia, cura præpoſtera, corpori aduocare medicum expertiſſimum, litibus aduocatum eligere verſatiſſimum, opibus tuis regendis, ac rebus tuis proſpiciendis fideliſſimum procuratorem, ac diſpenſatorem prudentiſſimum, arandis colendiſque campis tuis operarium apprimè gnarum; equili tuo Hippocomum diligentiſſimum, emundandis areis tuis verſores nitidiſſimos, ipſis canibus tuis venaticis curatorem optimum, animæ verò tuæ peſſimum. O quam verè dixeris, *Hominem non habeo*, & ob hoc tot annis criminibus infixus langues incuratus. Dum te ſic jacentem contemplaris, caue, ne te Dei plectat ira, comprehendat, ſæua maledictio, ſuis olim inflicta capitalibus inimicis. *Oues tuæ dentur inimicis tuis, & non ſit qui te adiuuet &c. Omni tempore calumniam ſuſtineas, & opprimaris violentia, neque habeas qui liberet te.* Time. ne in miſerando illo ſtatu deprehendaris, quem vt deſperatum cenſet: *Corruet auxiliator, & cadet cui præſtatur auxilium, ſimulque omnes conſumentur.* Aduerte, te jam dæmonis poteſtate ſubiugari,

Hie. 5. 30.

Hie. 6. 14.

Deut. cap. 28. 31.

Iſa. 31. 3.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

& quòd colloquantur dæmones multi inter ſe
contra te, dicantque id quod olim illi populi
Iſraelis inimicus: *Non habent principem & adiu-*
1. Mach. c. 12. 53. *uantem: nunc ergo expugnemus illos.*

## §. 16. Surge, tolle, *&c. Hic Chriſti elucet poteſtas, & quem ille curat, ſecurus eſt, quando eris & tu talis?*

43 PRæcipit Chriſtus Paralytico. *Surge tolle lectum*
*tuum & ambula.* Clariſſimè ſuam hic oſten-
dit Diuinam poteſtatem in fortibus Hieru-
Pſ. 47. vt ſupra. ſalem, & propheticum illud implet Dauidis.
*Deus in fortibus eius cognoſcetur.* q. d. Fortiſſimum
atque potentiſſimum, quod in templo ac Hie-
roſolymis agnoſcitur: piſcina eſt hæc probatica
hic meam geſtio oſtendere potentiam, & quod
illa non poteſt, hoc ego potero. Tibi hoc dico,
quem tantæ piſcina virtutis curare non valuit,
nec eius potuit auxiliari remedium: eo quod, qui
te illi iniiceret, hominem non haberes; me locum
non mouente, nec manibus aut pedibus vim vl-
lam faciente, ſed ſimplici tantummodo oris mei
voce, eaque non ſupplicatiua, ſed imperioſa, ac
poteſtatiua, *Surge.* O luculentiſſimum diuinæ ſuæ
eſſentiæ, poteſtatiſque exemplum! Probat D.
Heb. 1. 3. Paul. veram in Chriſto Diuinitatem ex vi ac vir-
tute verbi ſui: vt alias expoſuimus. *Qui cum ſit*
*ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ eius, portans om-*
*nia verbo virtutis ſuæ.* Splendor eſt paternæ glo-
riæ, eiuſque ſubſtantiæ, vera viuaque imago.
Quod declarat æterni verbi generationem, &
qua ratione procedat à Patre, vt notat D. Aug.
& ſicut ſplendor ſeu clariſſimus radius de ſole
procedit, ſine vlla ſolis alteratione, ſeu motu
ſenſibili, nec quia de illo procedit, eodem eſt po-
ſterior, ſed illi coæqualis, & numquam ſol fuit,
ſine ſplendore, ita de Patre procedit filius, nec
eſt imago mortua, ſeu ex animis, vt regis imago,
quæ ſolùm regis præfert accidentia, ſed viua, quæ
Patris referat ſubſtantiam ac vitam, cum eadem
Serm. 190 de temp. vita viuat, hoc autem habet, quod *Portet omnia*
*verbo virtutis ſuæ.* Lumen infundit cœco, leproſis
munditiem, greſſum claudis, vitam defunctis.
Vnde illi hæc omnia? *Verbo virtutis ſuæ.* Vnico
verbo, *Reſpice:* lumen infundit. Vnico *Surge*, dat
vitam. Vnico *Mundare* mundat leproſum. Vbi
hoc erat? Vnde hoc habet? *In verbo virtutis ſuæ.*
Eius hic conſidera virtutem, non indiget, Ange-
lico deſcenſu, non motu piſcinæ, non coniun-
ctione cum paralytico, vt Elias & Eliſeus ſeſe
mortuis coniungebant, non genuflectione ad
orationem, vt D. Paulus, tantum dicit verbum,
*Surge.* Eius hic demirare potentiam; nec hoc ei
ſufficit, addit inſuper: *Tolle lectum tuum & am-*
*bula,* vt oſtendat, probetque, ſalutem à ſe datam
paralytico, non eſſe ſophiſticam aut veriſimi-
lem, ſed veram ac permanentem.

Ita notat D. Petr. Chryſolog. quod Chriſtus
ægros non ſanet, vt medicus ſolet ordinarius, D. Petr. Chrys.
qui curato morbo infirmum deſerit debilem, Serm. 18.
eneruem qui multo indiget tempore, ad integrã
virium reparationem, ſed expulſa ægritudine,
vires reſtituit integras, & quàm ante erant, ſo-
lidiores: *Chriſtus ſic fugat morbos, vt vires priſtinas*
*mox reducat. Vbi curat ars, ibi infirmitatis reſidet*
*laſſitudo: vbi ſanat virtus, ibi labor veſtigium non*
*relinquit.* Hinc quæſtioni cuidam reſpondet. In-
trat Chriſtus domum Petri, fugat febrim à ſo-
cru, qua languens ac proſtrata decumbebat. Ad
lectulum accedit jacentis, arripit manum eius &
curauit illam; ilico ſurrexit, cibos cœnamque
præparat Chriſto eiuſque diſcipulis, ipſa cœ-
nantibus miniſtrat: *Surgens miniſtrabat illis.* Stu-
pet D. Petrus Chryſol & quærit. *Chriſtus indige-*
*bat mulieris obſequio, & mulieris proiectæ ætatis.* Luc. 4. 39.
*ſenectutis ſummæ, ſiliis aggrauatæ? Sic in domo Petri* D. Petr. Chryſol.
*non erat vernacula, non miniſter, non familiaris,*
*non propinquus, certè non vxor, quæ matris obſe-*
*quium præueniret? Petrus ipſe cauſas ſuæ verecundiæ*
*non videbat, vt hoc anus, hoc ſocrus faceret magi-*
*ſtro, diſcipulus quod debebat?* Ne mireris, reſpon-
det Diuus Petrus Chryſologus, hoc Chriſti ge-
ſtum conſilio, qui hoc voluit, vt cunctis luce
clarius innoteſceret, quàm vera, ſolida, certa-
que ſalute mulierem erexiſſet, ſic vt debilitas,
poſt ardentiſſimas febres reſidua, nulla remane-
ret, ſed nec illa, quam ſecum ætas conſulerat
ingraueſcens. *Miniſtrare illam ad indicium redditæ*
*ſanitatis admiſit.*

Idem contigit, dum Lazarum reſuſcitatum, 44
iuſſit diſſolui, & dimitti: *Soluite eum & ſinite* Ioan. 11. 44.
*abire.* Et filiæ Principis Iayri Synagogæ, *Iuſſit*
*dari manducare*, jam rediuiuæ. Vita quippe ac Luc. 8. 55.
ſalus quam cunctis largiebatur non eſt apparens,
ficta, debilis, ſed fortis, certa, vera, cum claudus
lectulo ſuo deſiliens, leuis vt paſſerculus, grabato
in humeros ſublato totam obambulare queat
ciuitatem. Hæc optima morborum curatio, &
in hoc apparet infirmus perfectè, ac integrè ſa-
natus, quod exſurgens, ambulet, exſiliat grabato
onuſtus, nec in veterem recidat infirmitatem.
In hoc quoque, chariſſime, patebit, num perfe-
cta tua ſit ſanitas, num integrè criminum tuo-
rum morbus curatus, ſi ſanus permanſeris, nec
in antiqua

in antiqua reincidas ſcelera, ſi via pœnitentiæ, quam cœpiſti, progrediaris: hanc enim nobis regulam præſcripſit D. Paulus: *Quæ ſecundum* 2.Cor.7. 10. *Deum triſtitia eſt, pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur.* Sit ſalus tua ſtabilis, quam non tollat ventus, quam nullus caſus elidat aduerſarius.

De locis Hebraicis. Optime dixit Chriſtus paralytico, *Ecce ſanus factus es, iam noli peccare.* Difficultatem patiuntur verba Spiritus S. dum egreſſus populus de mari rubro, Pharaone ſubmerſo, deſerta perambulat Sur, quæ D. Hier. Epiſt. ad Fabiol. ea eſſe notat, in quibus occurrit Angelus Agar erranti. Illic inuenerunt aquam amaram, vnde conueniens loco nomen inditum, *mara*, figuratiuumq́ eſt, ait D. Hier. quod egreſſo tenebris peccatorum occurſuræ tibi ſint aquæ amaræ. Eas obdulcauit Moyſes ligno in aquas demerſo. Addit quoque: *Ibi* Exo.c.15. 25. *conſtituit ei præcepta, atque iudicia, & ibi tentauit eum.* Quid hoc rei, quæ illa præcepta a Deo tradita? Non enim eis legem dedit, cum illa non niſi in monte Sina fuerit promulgata. Opinantur aliqui, quod præcepta fuerunt, data eorum patribus. Credo ego, quod præcepta fuerint: fidei ſpei, charitatis, renunciationis idolorum. Cõmunior autem eſt opinio ait Caiet. quod hoc ignoremus, licet Rabini conſeant, fuiſſe *De obſeruatione Sabbati*, & de vitulorum concrematione. Incertum eſt; quid hoc ergo erit? Eſt ſignificatiuum quid. Egreſſus eſt populus Iſraeliticus de Ægypto: videamus num ſicut corpore ita & corde, videamus ſi ſyncere Ægyptiorum Idola reiecerint: egrediendo enim Ægypto, neceſſe eſt conſiderare, quid agant quid moliantur. Hoc quoque in vobis annotandum: Teipſum proba, inquit Apoſtolus, num vere Ægyptum deſerueris, num peccatorum idolis renunciaueris? quam es aſſecutus ſalutem o Chriſtiane, dum ſcelera tua per confeſſionem eluiſti? O quam ſalus infirma? quam fluida, vnicus puellæ conſpectus, litteræ tibi miſſæ, verbum tibi dictum, occaſio leuiſſima tibi oblata, hæc te de felici illo ſalutis ſtatu ad ima deiecerunt. Vereor, ait D. Ambroſ. quod nec vera fuerit tua

I. Quæ ſit vera & conſtans pœnitentia.

ſanitas nec vera pœnitentia: ratione cuius hanc aſſerit propoſitionem, quæ metum incutiat etiam fortiſſimis. *Merito reprehenduntur, qui ſæpius agendam pœnitentiam putant: quia luxuriantur in Chriſto. Nam ſi vere agerent pœnitentiam, iterandam poſtea non putarent: facilius autem inueni, qui innocentiam ſeruauerint, quam qui congrue egerint pœnitentiam.* D.Ambr. Lib.2.de pœnit.c. 10.To.4. Ne puteris, omnes abſolui qui confitentur, & qui pœnitentiam agunt, ſanari: non ob ſacramenti defectum, ſed ob indebitam diſpoſitionem: huius autem certiſſimum patet indicium, quod ilico in eadem crimina relabantur, quaſi ea minime planxiſſent: hanc quorundam peccatorum conditionem ſignat Rex propheta: *In circuitu impii ambulant.* Pſa.11.9. Egreditur alter loco illo, vbi fuerat, ſed corde minime. Licet enim ab eo recedere videatur, confeſtim ad eundem regreditur: vt ille, qui circuitum quendam facit, licet videatur priorem locum deſeruiſſe, itergaque vertiſſe, paulo tamen poſt repetit eundem.

II. Similitudo.

Hoc te docebit in morbis corporalibus experientia. Febris te inuaſit ardentiſſima, medicum aduocaſti, præſcribit euacuationes ſtomachi, venarum apertionem &c. Ita te ſentis recreatum, vt nihil te cruciet, pulſus æqualis, bianus appetitus, caput alleuiatum. Optime iam valeo, inquis: Reſpondet Medicus: Paulisper morare: attende ſi tempus reſponderit matutinum hodierno: hoc enim mirabile in corporibus aduertimus, quod ſæpenumero, & multo quidem tempore malignus humor ſe ſubducat, vt nec ſentiatur, nec aduertatur, ſic vt ne veſtigium eius modo ſupereſſe videatur: at poſtmodum tanta ſe prodit vehementia, vt te proſternat. Vbi, quæſo, malignus hic humor latebat incognitus? quo ſe ſubduxit tertianæ vel quartanæ febris humor pernicioſus? Secretum eſt tibi incognitum: ſed vides pernicioſum illum humorem, minime fuiſſe decoctum, vel euacuatum, cum denuo ſe manifeſtet, corpuſque inficiat. Argumento eodem vtere in animarum languoribus. Aduſſit te laſciui amoris febris peſtilentialis, qua mentis inops furis, irrationabilis. Ambitionis ſpaſmate cruciaris, quo ſuperbus inflaris, ad ſidera elatus, erectus vt ſtatua. Auri ſacra fame, argentique hydropiſi langueſcis vt diuitiarum gurgitem, fluuiumque epotare te poſſe videaris. Conſulis Confeſſarium animarum medicum, applicat remedia, peccata confiteris exhortatur te, monet, mouit: vt iam tibi ſanus exilire videaris: cordis tui pulſus ſedatus quantum colligis, rerum Diuinarum appetitus reſtauratus, ad iniuncta perficienda pœnitentiæ opera, nulla ſeſe prodit difficultas. Cauſa eſt etenim humor peccati malitioſus, & qui intimis cordis latet receſſibus, occultiſque venis abſconditus, vt aliquoties, tibi nec eius ſuperſit memoria, ſecreto interim viſcerum tuorum viuit incognitus. Vnde hoc ſciam? Attende, num correſponderit heſpero aurora, ſi reuiuiſcat, ſi poſtmodum ad eandem reuertaris ſocietatem, in eandem relabaris impudicitiam, eadem repetas lucra

 niu-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

vſurarum, ſuperbiæ ventis intumeſcas. Si hæc experiaris! Time infirmitatis tuæ reparationem. Si aduertas, dum a ſede vix recedis confeſſionali, vbi ſcelera es deteſtatus, quod rurſum ilico tibi pulſus alteretur, eadem te febris ardentiſſima moleſtet, ignis exurat. Hanc ſortem miſeram planxit olim Vates Oſeas in Eph-

*Oſe. 9.6.* raim; *Ephraim quaſi auis auolauit.* Vt auis de

*III. Similitudo.* nido: Incubat paſſer in nido pullis ſuis, lapidem adiicis euolat, & quaſi nidum deſerit, auolat que velut numquam in nidum reuerſura: verumtamen hoc ne credideris, licet geſtus illos faciat euolandi; nido cor eius hæret affixum. Vnde hoc ſcies? Ex eo quod confeſtim oculos ſuos ad nidum, vnde diſceſſerat, reflectat, & parua interpoſita mora, reuertatur. De te febula narratur: tuorum nido reſides criminum, ouis incubas peccatorum, quæ affectus calore foues inordinati. Lapidem miniſtrum Dei proiicit prædicator, arguit nidum te deſerere, cuncti credunt, ſed væ tibi, qui denuo deſertum repetis nidum; Conuinceris oua, pulloſque peccatorum amare te nimium, quod ſi de nido auolaueris, phantaſma fuit, non rei veritas

Sæpius animo reuolui, quod de Diuus Petro narrat Actuum Apoſtolorum commenta or D. Lucas; fortiſſimo carcere vinctus ab Herode detinebatur duabus conſtrictus catenis, vigilantibus cuſtodibus militum numero circumcinctus, quem altera die producturus erat Herodes ad mortem. Pridie huius diei, nocte me-

*IV. Allegoria* dia mittitur a Deo Angelus, Petrum ſoluturus. Obdormierat Petrus ſopore graui, quem Angelus percuſſo latere excitauit: vidit & ecce ceciderunt catenæ, manicæ, pedicæ, quibus vinctus ſtringebatur. Præcipit Angelus: *Calcea te caligas tuas*, & ſequere me, carceris ergaſtulum deſere. Præcedit Angelus viæ dux, aperiuntur portæ, reſeratur & prima, quæ erat plateæ vicinior. Notat hic Euangeliſta, hoc viſo Petrum ſibi timuiſſe, nec ſecurum proceſſiſſe ſed quod de phantaſmate cogitaret, aut viſionem vel ſomnium id eſſe arbitraretur, dubitans num vero liber excederet ergaſtulo.

*Act. 12.9.* *Exiens ſequebatur eum, & neſciebat, quia verum eſt, quod fiebat per Angelum, exiſtimabat autem ſe viſum videre.* Vt vero ad apertam latamque venerunt plateam, *Diſceſſit Angelus ab eo, & Petrus ad ſe reuerſus dixit: Nunc ſcio vere: quia miſit Dominus Angelum ſuum, & eripuit me* &c. Quid hoc o Petre an liberationi tuæ non credis, illam expertus, dum te viæ dux, & aſſertor educit Angelus: ſed tantum poſtquam ipſo diſcedente te liberum aduertis, & libere quaquauerſum ambulare? Opinatur D. Gregor. eum abſorptum rerum Diuinarum contemplatione. Alii, opus

*Lib. 3. Dia. c. 3.* illud credunt adeo fuiſſe mirandum tantaque Petrum lætitia ſuperfuſum, ob ex tam manifeſto mortis periculo ereptionem, vt ſomnium ſuſpicaretur; vt Dauid deſcribit Iſraelitas, ſeruitute Babylonica ſolutos, ac egredientes, quaſi præ gaudio ſomniantes *In conuertendo Dominus captiuitatem Sion, facti ſumus, ſicut conſolati.* Legunt *Pſ. 125.1.*

alii: *Sicut ſomniantes.* Et ut Iacob, audito nuntio, de vita, regno, ac gloria Ioſeph, quem tot annis vt mortuum luxerat, *Quaſi de graui ſomno* *Ge. 45. 26*

*euigelans.* Ad rem igitur noſtram, dico; quamdiu Petrum, Angelus comitatur ac deducit: non dum ſe confidit liberatum, nec verum aſſerit quod videt, imaginariam ſuſpicatur viſionem, donec diſcedente Angelo, ipſe remanens ſolus, ſe carcere ſolutum, manicis pediciſque decuſſis gaudet vere liberatum. Ne certam ſecuramque a culpis tuis confidas ſolutionem, quando modo tempore hoc quadragesimæ, te comitatur, te deducit ſacerdos Angelus ac Confeſſarius te docet, exhortatur, a peccatis liberum abſoluit. Time ne non imaginaria ſit abſolutio, donec exſpirante quadrageſima, in qua peccata confeſſus eris, & te deducunt prædicatores, comitantur Confeſſarii, vt Angeli Dei, poſtmodum ſolus viam morum ingrediens operumque tuorum, te ſolutum videris, diſfractis catenis culparum quibus ſtringebaris, & peccatorum carcere liberum quo captiuus miſer tenebaris: quando quadrageſimæ elapſo tempore, te videris ab illa puella, euiſque domo, ac conuerſatione liberum, ab illo iniuſto ac vſurario contractu ſolutum, reparateris alienis, & omnin culpa liber ambulaueris: tunc quidem, & non antea dixeris. *Nunc ſcio vere, quia miſit Dominus Angelum ſuum* &c. Non ſe credit claudus rectificatum, quamdiu in alterum latus declinat incuruus, & ille qui eum ſuſcepit curandum, cum adhuc adminiculis ſuffulcit: donec videat, quod ſublatis illis non cadat, firmus pedibus conſiſtat, non vacillet, quinimo liber, leuiſque gradiatur.

### §. 17. *Sanat Chriſtus hunc paralyticum illo verbo:* Surge, tolle &c. *Idem quoque tibi præcipit in tuam ſalutem.*

S*urge, tolle, lectum tuum, & ambula.* Duo paralytico præcipit, primum, ut ſurgat; ſecundum lectum in humeros ſuſtollat, de loco iſto egrediatur,

grediatur, qui cum languentem morboque ſuo
proſtratum detinebat. Duo tibi ſunt agenda, o
peccator. Primum, ut ſurgas de peccato, dicaſ-
que cum filio prodigo, dum ſe in deſerta luget
Luc. 15. regione fameſcentem, interque porcos ſpurciſ-
18. ſimos volutatum: *Surgam & ibo ad patrem meum*
Eia igitur, intemperata libidines cortator, de con
cubinatu illo exſurge, conſurge de inhoneſta il-
la viuendi ratione, in quam a tot annis ganeo
contaminatus incidiſti. Ea, fœnerator, ſurge
de lucris iniuſtis, vſuris fraudulentis, quibus cor
tuum depreſſum iam dudum ſuſtinuiſti. Eia
vindictæ flagrantiſſime, ſurge de immortali illo
1. Surgendum a peccatis. odio, quo anima tua miſere proſtrata decumbit.
Hinc multorum perditio: qui ſicunt impius Rex
Achab, qui cupiditate exardeſcens poſſidendi
vineam Naboth falſis ſubordinatiſque teſtibus,
3. Reg. 21. ei vitam ademit. Vineam poſſidet, & vt in mol-
li lectulo in ea requieſcit. Adeſt Vates Elias,
cum ex ore *Dei* minis perterret, prædicit ſuppli-
cia, quibus eum *Deus* plectere iam parabat. Ad
pœnitentiam Rex confugit, gemit, humiliat ca-
put, cilicio cooperitur, & cinere conſpergitur,
peccatum confitetur: attamen de lecto non ſur-
git, vineam non reſtituit, nec damna illata repa-
rat. O quot habet ille ſibi compares! Rex Na-
buchodonoſor tyrannus, populi *Dei* oppreſſor
iniuſtus, templi *Dei* prædo ſacrilegus, lecto ſu-
perbiæ decumbebat & propriæ æſtimationis ina-
ni gloria faſtuoſus, vt *Deus* vult adorari, & ob
denegatum a tribus illis piiſſimis adoleſcenti-
bus cultum ſacrilegum, ad ignis fornacem, eos
damnat concremandos, cuius flamma in cœlum
ad quadraginta nouem cubitos ſurſum ferebatur.
Videt quod nec illos ignis exurat, nec flam-
ma moleſtet, quinimo Dei luceſcat potentia,
quæ illos & ſolatur, & eripit illæſos. Tremiſcit
hinc Rex, facti pœnitet, peccatum fatetur, iu-
ſtum eſſe proclamat, vt cuncti Deum Iſrael ve-
nerentur. Attamen nec ſtatuam ſuam diruit, nec
populum ſoluit iugo ſeruitutis, nec templi Hie-
roſolymitani ſpolia remittit, obduratus. O quot
Dan. 3. numero huic ſimiles. Tu fœnerator, qui ſce-
lera veniſti confeſſurus totus infuſus lachrymis,
an fœnore ablata bona reſtituiſti? Tu qui pro-
ximi honori detraxiſti, famæ alterius violator,
cuius tecriminis accuſaſti noxium, num ſatis-
feciſti? Tu qui molli cupidinis ſtrato decumbe-
bas, alienamne remiſiſti?

Stupeant omnes hanc Samuelis conſequen-
tiam, ſed melius fundatam, quam vlla poſſet in-
ferre Dialectica Ariſtotelis. Deum ſuum popu-
lus grauiter ad vindictam prouocarat, ad eum
habet concionem, peccati proponit grauitatem:
ad lamenta recurrunt omnes pœnitentiæ, plan-
gunt, deflent, idololatriam deteſtantur. Ait igi-
tur: *Si in toto corde veſtro reuertimini ad Dominum* 1. Reg. 7. 3.
*auferte Deos alienos de medio veſtri. Baalim &* II.
*Aſtaroth.* Optima conſequentia; quod ſi igitur Occaſio
idola non reieceritis: vera veſtra non eſt pœni- deſerenda.
tentia. Hoc primum eſt. Hoccine ſufficit?
Nequaquam. Secundum quoque dicimus ne-
ceſſarium. *Tolle lectum tuum, & vade*: loco iſto
diſcede, quo proſternebaris peccator. Dixeris
Chriſtum ad Hieroglyphicum alludere Pytha- Pythag.
goræ. Refert de eo Clement Alexand. a Et a L. 5. Stromat.
declarat eius Scholiator Gentian. Heruetus,
quod multam S. Scripturæ peritiam fuerit aſſe- Comment.
cutus eiuſque notitiam ſibi aſſumpſerit, ad cuius 3. p. 567.
imitationem loqui voluerit, in parabolis, ænig-
matibus, ſymbolis, ſimilitudinibus, quibus pau-
cis verbis, graues proloqueretur ſententias: qua-
rum vna hæc fuit: *Qui ſurgit e cubili, ſtragula*
*conturbet*, qui lecto ſurgit, ſimul auferat ſtra-
gula, linteamina, opertoria, lodices, anaclinte-
ria: ita vt conſtet, quod toto die illo, ad lectum
ſit non reuerſurus. Hoc bene culti exigunt mo-
res, vt, cum ſtrato exſurrexeris, lectus tollatur,
lodices, ſtragula, opertoria colligantur, & ana-
clinteria excutiantur, vt ab omni puluere ſordi-
buſque emundentur. At hoc ſolum non intendit
Philoſophus, ſed illo voluit hieroglyphico de-
clarare, quod ille, qui deſerit, ſeu exurgit de pec-
cato etiam tollere debeat occaſiones, quæ eum
impulerant, & proſtratum detinuerant, ita vt no-
uerit, toto die ſibi ad illas, non reuertendum, id
eſt quamdiu vitæ illi dies illuxerit. Hoc tibi
Chriſtus ſignificat, hoc verbis his intendit cla-
riſſimis, *Surge, tolle lectum* &c.

Nedum tibi deſerenda præcipitur impudi- 47
citia, ſed & de pellicis domo diſcedendum, ne
ad eam poſthac reuertaris. Ædes demitte lu-
ſuum, quæ tibi lapis erant periuriorum, ac petra
perditionis. Reſcinde contractus, mortis tuæ
proximam occaſionem; vnico verbo: ſurge de
peccatis, eius domibus excede, hoc eſt, eius oc-
caſionibus. Hoc Lot præcipiunt Angeli, vt tam
animo excedat ſincero ciuitate, vt nequidem ſtet
in *omni circa regione*. Et ob ſemel tantummodo Ge. 19. 17.
eo retrouerſum caput, in ſalis ſtatuam vxor eius Act. 12, 8.
transformatur. Petro mandat Angelus, *Surge ve-*
*lociter*, ergaſtulum deſere, nec in eo vel veſtis
tuæ filum, nec pedis calceum omittas, quin te-
cum efferas: vt nihil ibidem remaneat, quod ani-
mum moueat, vt vel ſemel carceris recorderis.
*Calcea te caligas tuas, circumda tibi veſtimentum*
*tuum.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*tuum* &c. Huic dat manum conuenitque eiuſdem vera pœnitentia, quando Chriſtum nocte paſſionis ſuæ ter perfidus abiurauit in domo Pontificis, quem ille conuerſus reſpexit, quo Domini intuitu illuſtratus, de culpa trinæ ſurrexit negationis, excedens domo, vbi tam miſerando ceciderat infortunio. *Egreſſus foras fleuit amare.* (Lu. 22. 62.) Ægre admodum ac difficulter, eo in loco culpa defletur, quo fuerat commiſſa. Summo negotio luxuriam deteſtamur, ſcorto proxime adhærentes, cui inhoneſte conuiximus. Arduum eſt luſum plangere in domo ſphœriſtici remanenti: Operoſe quis ſe ſubtrahit vſuris qui frequentat contractus, quibus eas ſolet committere. Emundat Dei templum piiſſimus Rex Ioſias, ab Baal idololatris profanatum, nec ſolum aufert idola, ſuffodit idolorum altaria, ſuccidit lucos, e quibus ligna pro ſacrificiis cædebantur, domunculas euertit effœminatorum, ſed quidquid ad idolorum ſpectabat cultum, falſorumque Deorum conueniebat venerationem: *Proiecit de templo Domini omnia vaſa quæ fuerant Baal & confregit ea, & fecit auferri lucum, deſtruxit ædes effœminatorum* &c. (4. Reg. 23. 4.)

Do ſor noſter Angelicus alio ſenſu verba hæc interpretatur: *Surge, tolle lectum tuum, & ambula.* (In hunc loc.) Scribens in hunc locum cui ea videntur integram ſalutis tuæ continere medicinam, quæ tribus conſtat requiſitis. (III. Tria requiruntur ad integram ſalutem.) Primum, vt lecto, quo proſtratus iacebas, exſurgas. *Surge.* Secundum, vt lectum in humeros ſuſtollas. *Tolle lectum tuum.* Tertium, vt ambules. *Ambula.* Eia igitur, ſcelerate, eia impudice, eia fœnerator eia ambitioſe, perpende præſcriptam tibi medicinam, tribus his partibus compoſitam, quas includit pœnitentia: contritione, confeſſione, ſatisfactione. Omnium primum. *Surge:* Num in illud corruiſti vitium, & in illo vt quietis cubili iaces proſtratus? *Surge: Surge qui dormis,* ait Apoſtolus; (Ephe. 5. 14.) ab illa ſurge mollitie, ab illa mala ſurge cupiditate: ab illa inflata ſurge ambitione, ab illa ſurge inimicitia. En primam partem pœnitentiæ. *Cordis contritio.* Quæ eſt autem hæc? Attende quo modo peccatum commiſeris. Peccatum committitur, dum cor a Deo auertis, & conuertis ad creaturam: reparatur autem, auerſione a creatura, & ad Deum conuerſione. Hoc opus eſt contritionis: eſt enim actus, quo creaturam deſeris, & te conuertis ad Deum; ſic enim eam definiunt Theologi: *Dolor eſt de peccatis propter Deum.* Secundum: *Tolle lectum tuum.* Ecce confeſſio. Non omni modo cubile pecc ri deferendum, ſed in humeros ſubleuandum. Lectus dum in eo decumbebat paralyticus, & cum ille detinebat, locus erat quietis: attamen in humeros ſublatus, ille paralyticum grauat, moleſtat, & idem ipſe eſt qui lectum tollit. Hoc omnimodis agendum, ut peccatum quod prius te recreabat, quo quieſcebas delicioſus, ſit tibi modo onus graue, faſtidioſum, & animæ tuæ permoleſtum: dic & vere dic cum Dauide pœnitente; *Peccatum meum contra me eſt ſemper.* (Pſa. 50. 5.) Velut Apoſtolus, qui, nihil ſibi magis moleſtum, quam peccatum eſſe teſtabatur, quodque id quod prius tanto mentis ardore conceperat, ac dilexerat, modo continuo eum moderet cruciatu, & cordis intima illi lancinaret. Ita declarat D. Hieron. eiuſdem verba. *Veritatem dico in Chriſto* &c. (Rom. 9. 1.) *Quoniam triſtitia mihi magna eſt, & continuus dolor cordi meo.* Quæ ratio? Ob hoc, quod me prius oblectabat, nimirum, quod Chriſtum & Chriſtianos perſecutionibus inquietarim. *Optabam enim ego ipſe Anathema eſſe a Chri ſe.* Viden' qua ratione ſit tibi cum peccato agendum: illo te eo modo graues, vt tibi ſit moleſtum, dolorem adferat, & ſic ſublatum, ad pedes defer Confeſſarii. Quæ hæc quorundam ſtultitia, qui confeſſuri crimina ſua veniunt & ea inaurant, vt vix videantur. Tot ea proponunt contecta laruis, vt ea minime poſſit detegere, & dignoſcere confeſſarius. Ea ita eius oculis expone, vt paralyticus hic grabatum ſuum, vt ea clare, diſtincte, & intime dignoſcat. Hic quoque aliorum eſt defectus, qui peccata ſua recitant quaſi qui narret hiſtoriam fabuloſam, nullo dolore contriti, nullo interno motu compuncti, nec oculos in terram declinant, aut contrahunt humeros, quaſi qui tanti ponderis nullam moleſtiam ſentire videantur. Tollite illa ſuper vos, vt grauent, humeros deprimant, illa confitemini diſtincte, ex vna, & cum gemitu & animi dolore, ex parte altera. Porro quantus debet hic eſſe dolor? Oneris quanta moleſtia? Quantum fuerit peccatorum onus; quod ſi peccati grabatum, quo decumbebas, magnum fuerit, ne credideris, illud in humeros tollendo, dolorem fore perexiguum: *Grandis ſqualor, & grandis immunditia non leui purgatur dolore*, inquit Diuus Ambroſius. (D. Ambr.)

Expendit D. Pet Raban. id quod Spiritus S. refert de pœnitentia Manaſſis Regis, qui in ſe reuerſus, monente eum tribulationibus Deo, tribulationibus inquam tantis, vt cunctis fortunæ ictibus expoſitus, eſſet omnium miſerrimus; (In Gloſſa 1. 2. Paral.) *Egit pœnitentiam valde coram Domino Deo patrum ſuorum.* (2. Para. 33. 12.) Enucleat Raban. hoc aduerbium (*valde*).

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Hoc autem ipſa ſuadebat iuſtitia ac ratio, vt talē ageret pœnitentiam, de quo paulo ſuperius dixerat S. Textus, quod fuiſſet, peccator, peccator valde. Ita vt conuenientem ſceleribus ſuis egerit pœnitentiam, quam vt talē Deus gratam habuit, præterita dimiſit, & Regno reſtituit è carcere liberatum. *Exaudiuit orationem eius, reduxitque in Hieruſalem in regnum ſuū.* Optima,
Pſ. 101. 6. & nulla perfectior Dauidis pœnitentiâ: *A voce gemitus mei, adhæſit os meum carni meæ.* Quolibet ſuſpirio mihi anima euellitur, memor Dei offenſæ, pelli meæ conſumptis ſeueris pœnitentiæ operibus, carnibus adhæſit os meum: nec mihi præter corporis loricam quidquam ſupereſt, totus mœrens, totus melancholicus, & peruigil
Pſ. 101. 7. deploro flagitia: *Similis factus ſum pellicano,* &c. *Vigilaui.* De quo alio loco.

IV. Operum ſatisfactio. Sit verò illud vltimum: *Ambula,* hæc operarum eſt ſatisfactio, vt nouam ambules viam, aliis greſſibus mortificationis, ieiuniorum, ſolitudinis, eleēmoſynarum, & bonorum operum incrementis. Iter ingreſſus es inferni, & in eo tot paſſibus feſtinaſti, quot peccata commiſiſti; cū curriſti, vt effrænis equus, præceps in animæ
Hier. 7. 46 perditionem: *Quaſi equus impetu vadens ad prælium,* Vt tē nec timor Dei retraxerit, nec animæ pernicies retardârit, nec opum tuarum iactura fuerit remorata, nec honoris tui æſtimatio detinuerit in præceps dilabentem. Hanc viam retrogradere, & cœlum verſus iter carpe iam ſa-
Rom. 6. 19 natus. *Sicut exhibuiſtis membra veſtra ſeruire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc*
Hom. 1. de pœnitent. *exhibete membra veſtra, ſeruire iuſtitiæ,* &c Tria hæc, ait D. Chryſ. eos exercuiſſe notabis, qui nobis veræ pœnitētiæ proponuntur exemplar, nimirum Niniuitæ; qui prædicante & comminante Iona Dei vindictam omnibus imminentem:
Ionæ 3. 10 *Conuerſi ſunt vnuſquiſque à via ſua mala, & clamauerunt ad Dominum in fortitudine, & ieiunauerunt, induentes ſe ſacco,* &c. De ſtrato peccati ſurrexerunt, quo decumbebant, ad Deum ſe conuerterunt: *Conuerſi ſunt,* &c. Nota cōtritionem; in cœlum vociferati ſunt, crimina ſua reatumq; confitentes, ſe ſempiternis ignibus dignos iudicantes cōcremari. Mirare confeſſionem. *Clamauerunt in fortitudine.* Confeſſio ſolida, ſine laruis, ſine excuſationibus, verbis accuſatiuis, cordis eductis viſceribus. Ieiunârunt, ingemuerunt, carnem ciliciis domârunt, molles abiurarunt lectulos, & cinerem ſibi ſubſtrauerunt. *Ieiuna-*
D. Aug. *uerunt, induerunt ſe ſacco,* &c. Ecce ſatisfactionē.
Serm. 41. ad Frat. in Erem. Tria hæc, cenſet D. Auguſt. Chriſtum ſignificaſſe, triplicis aquæ effuſione: *Triplex eſt aqua Saluatoris.* Prima lachrymarum: quas effudit in morte Lazari, & quibus caſum defleuit Hieruſalem. Secunda, peluis, quam in cœna effudit de hydria in peluim, quibus pedes lauit diſcipulorum: *Miſit aquam in peluim.* Tertia, quæ de Ioan. 13. 5
transfixo eius latere profluxit, mixta ſanguine, iam defuncto: *Exiuit ſanguis & aqua.* Cui rei, Ioa. 19. 34
Domine multiplicatæ aquarum effuſiones? Vt inde diſcas tres tibi ſimiles effuſiones aquarum eſſe neceſſarias in tuæ ſalutis auxilium. Prima, ex oculis ſit amara lachrymarum effuſio, de corde contrito, humiliato, pœnitente vt Magdalena. Secunda: Effunde cordis hydriam, peccata tua ad pedes effunde confeſſarij ſimplici & veridica confeſſione. Tertia: profluat aqua cum ſanguine pectoris per ſatisfactionem: quæ ſit criminibus adeo coæqualis, vt licet in carnem & ſanguinem proximi tui conuerteris bona, venis tnis concluſa proſiliant, illa redonentur; & licet tibi cordis extrahatur ſanguis; eleēmoſynis, reiecta lupæ ſocietate, remiſſis ex corde tibi factis iniuriis, illis ſatisfacito.

§. 18. Noli amplius &c. *Caue peccati recidiuam, ne tibi quid peius contingat, vt Ozæ, & illis, de quibus loquuntur D. Bonauentura; & D. Gregorius.*

ILlis Chriſtus non contentus (ait D. Cypria.) 49
hanc hiſtoriam exponens, ſed vt bonus medicus, qui curato iā primum infirmo, demū ei remedia ordinat præſeruatiua, & monet, vt ab hoc & illo ſibi caueat, ne in grauiorē, quod fieri poteſt, relabatur infirmitatem: ita ſanato iā paralytico, ad conſeruandam iam receptam ſanitatē, & à grauioribus præſeruandum in poſterum morbis, remedia præſcribit. Chariſſime, te admoneto, cū iam per miſericordiā quā tibi præſtiti, ſanus factus ſis: ne in noua denuo peccata relabatis: hæc enim tibi ſæuioribus aperient viā infirmitatibus, ad peiorem vitæ ſtatū relaberis, & erit peiori caſu recidiua perículoſior: *Soſpitantis verba ſunt, & docentis* (ait D. Cypr.) *curantis pariter & monentis. Ecce ſanus factus es, iā noli peccare, ne quid deterius tibi fiat. Dat viuendi morem, dat innocentiæ legem, poſtquam contulit ſanitatem, nec habenis liberis & ſolutis vagari poſtmodū patitur, ſed grauius cōminatur, quod ſcilicet ſit minor culpa deliquiſſe ante, cum necdū noſſet diſciplinā Dei. Iam amplius noli peccare ne deterius tibi aliquid contingat.* An ergo grauior dari poteſt infirmitas ipſa paralyſi? Num prolixior, quam triginta & octo

Lib. 1. de diſcr. & habitu Virg.

D. Cyp. L. de diſci. & habit. Virg.

annis grabato iacêre langueſcentem? Nũ morbus acutior, quem nullum ſanet medicamentum? O te ignarum? An non deterius, ignis æterni lecto decumbere? An non grauius flammarum infernalium, quamdiu Deus, Deus fuerit, in grabatum incidiſſe? *Quis poterit habitare de*
Iſa. 33:14. *vobis cum ardoribus ſempiternis?* Quærit Iſaias: Si tantus tibi dolor, ad momentum hic extremum digiti tui concremari, ſi vel tantillus dolor, quando podagra extremum lancinat digiti, multis diebus detinet continuis fletibus, ac gemitibus exclamantem, ſi coxendicis cruciatus videtur tibi nulla poſſe ratione tolerari: quid ignis erit ſempiternus? dolores nũquam finiendi? cruciatus interminabiles? ira Dei implicabilis? Caue redire ad vomitum, & time, quod ſi te Deus triginta & octo annis longanimis exſpectauerit, & tandem reſtituerit ſanitati, ne in vetera peccata relapſus, erga tantam patientiam ingratus, erga tantam gratiam ac miſericordiam inhumanus, hinc inexſpectatò rapiaris, æternum moriturus.

Occaſione huius concinnè diſcurrit D. Auguſt. cauſam inquirens ſupplicij, quo Deus Ozam percuſſit, ob retentam arcam, recalcitrabant enim boues eam portantes, & ad caſum inclinabant, vt iam iam lapſura timeretur. Quo viſo extendit Oza manum, vt eam à caſu retineret, quem Deus ſubitanea puniuit morte, ſpectante Dauide, totaque populi Synagoga. Cur Leuitæ illi Domine, tantum ſupplicium? Abſit vt iniuriâ affecerit, quinimò tibi in hoc (dixero) maximè fuit gratificatus, accurrit enim feſtinus, vt honori tuo, & arcæ decori conſuleret, ne in terram fœdè prolaberetur. Ad ſummum, nullum aliud nobis peccatum deſcribitur, de quo poſſimus ſuſpicari, niſi leuis quædam audacia, in parum reuerenti manuum ſuarum arcæ fœderis tui contactu. Ob hãc igitur vel paruum defectum virum occidis? Diſputat D. Auguſt. & contendit Ozam fuiſſe valde temerarium & ſupra modum præſumptuoſum, qui ſacram illam arcam auderet contrectare, manibuſq; contingere, quod nefas habebatur, ac illicitũ; quodque hoc egerit nimia libertate, temeraria præſumptione parua reueren ia, ac veneratione, & hæc eſt cõmunis Doctorum Hebræorum opi-
2. Reg. 6.7 nio, quam ſacra pagina confirmat: *Percuſſit eum Dominus ſuper temeritate.* Iuxta Caietan. legitur ex Hebræo. *Percuſſit eum Dominus, ſuper errore, id eſt, ſuper facto erroris.* Alij legunt: *Super errorem.* Et ſignificat, quòd errore temerario deliquerit, & audaciâ præſumptuoſâ: videns enim arcam caſui proximam, credidit, quod niſi eam ipſe ſuſtineret, & admoueret manum, decideret de plauſtro, quaſi ſignificans, quod arca ipſa ſeipſam, excluſo eius ſubſidio detinere minime valeret, quaſi Deo vires deficerent, & media, ad eam ſuffulciendam, niſi eius auxilio. Error temerarius, & pœna dignus, ſicut & tuus, quando hoc tibi perſuades, Eccleſiæ domum ruituram, niſi tu eam defenſor ſuſtineres, ac niſi manum ad pauperem extenderes, Deo media defutura, quibus eum ſeruet incolumem. Illius hominis lapſu voluit Deus populum ſuum, noſque omnes commouere, quo reſpectu, qua ſupplici veneratione diuina, ſacraque ſint pertractanda. Addit autem D. Aug. ſecundum aliorum ſententiam, Ozam & alia prius commiſiſſe peccata, quibus Deus pepercerat: aſt illo hoc præſens ſuperaddente, noluit eum diutius perferre impunitum. *Quidam aliquod precedens peccatum in Oza per hanc culpam punitum eſſe exiſtimant: quoniam ſæpè euenit vt minores culpæ, præcedentium peccatorum vindictam incutiant.* Iam in illo Deus grauiores ſuſtinuerat temeritatis errores, modò reiacidit, licet verò minimus hic error cenſeatur temeritatis, horrendâ tamen eum mortis pœna condemnauit.

D. Aug. Lib. 2. de mirab. S. Script. 6. 12. Tom. 3.

Quid ergo, credisne Deum non ſtomachari, in eadem te crimina, eaque tibi remiſſa, relabente? Dauidi vnico illo: *Peccaui Domino*, dimiſit peccatum illud quo nullũ enormius, adulterium ac homicidium. Demum cogitationi conſenſit ſuperbiæ; quæ ad mortalis peccati non aſcendit (vt prædiximus) grauitatem, illam attamen nece ac clade pluſquam viginti milliũ caſtigauit. Regem verò tanto ſtupore percuſſit, quo ei ſanguis congelatus eſt, calorque tepuit naturalis, vt deinceps continuo membrorum tremore agitaretur, nec poſſet vllis mediis calefieri corpus eius exanime: Sæpè namque (teſte D. Auguſtinus) culpæ minores ſeuerius puniuntur, dum maioribus iam dimiſſis ſuperadduntur. Quinimo ex hoc viri huius occaſu Dauid tantopere ſibi cauebat à recidiua, vt poſtmodum, allatam ſibi à tribus fortiſſimis ſuis militibus aquam Bethleemiticam, quam tanto æſtu ſitierat, bibere non præſumpſerit, veritus, ne minima eum deliniret in potu, vetita ſenſualitas, proinde nec bibit: *Sed libauit eam Domino.* 2. Reg. 23. 14.

Ad rem noſtram proponit D. Bernard. lectionem profundiſſimæ ſapientiæ, ex illis verbis Sacrarum litterarum. *Beatus homo qui ſemper eſt pauidus.* Prou. 28. Time, inquit, quando ex tuo iudicio tibi

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

tibi videris eſſe in gratia Dei, ne illa excidas: hoc enim valde formidandum; Magis time, quando illa iam excidiſti; & te peccato cernis immerſum, Deique inimicum: Attamen plus omnibus time, quando Deus ſua te curauit miſe-

D. Bern. Ser. 54. in Cant.

ricordia, crimina benignus indulſit, ne in eadem vel alia denuo relabaris. *Time cum arriſerit gratia; time cum abierit, time cum denuo reuertetur. Cum adeſt, time, ne non digne opereris ex ea, monente Apoſtolo: Videte ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. Si ergo timendum eſt manente gratia, quid ſi receſſerit? Multo magis tunc timendum: quia vbi deficit gratia, deficis & tu. Time: quia relinquit te Deus, ſine quo nihil potes facere. Iam ſi gratia reprepitiata, multo amplius tunc tibi timendum, ne forte contingat, reciduum pati, iuxta illud: Iam ſanus factus es, noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. Proinde: quia recidere peius eſt, quam cadere, inualeſcente periculo, inualeſcat & metus.*

In vita S. Franciſci c. 11.

I. Exemplum.

Optimo propoſito noſtro quadrat quod narrat D. Bonauentura. Canonicus erat quidam Eccleſiæ principalis, affatim diues, ſtemmate nobilis, plebi venerabilis, at fœda libidine proſtratus. Viſitat illum Deus in ſalutis, ſuæ remedium ardentiſſima febri, quæ eum ad portas mortis a medicis ducebat deſperatum. Conuenit illum Seraphim terreſtris humilis Franciſcus, mœſtum ſolatur, hortatur peccatorem, aſſerit, id quod vos velim tribulationibus attriti conſideraretis, morbum hunc non caſualem ſeu fortuitum, ſed Dei nutu, ac ſingulari miſericordiæ ſuæ conſilio contigiſſe, in pœnam, ac criminum ſuorum ſaluberrimum remedium: & quod Deo placeret, criminibus ſuis ob peractam pœnitentiam ignoſcere, pariter elargiri ſanitatem, vt de facto conſecutus eſt, oratione, ac benedictione Seraphici Franciſci: Verumtamen maiori deinceps ſatageret viuere diligentia, mores corrigeret, vitæ rationem mutaret, caueret ſibi de recidiua, prædicebat enim illi quod ſi ad vomitum reuerteretur, multo peiora ſibi certius euentura. Qua percepta benedictione, ac Dei gratia, reſtitutus eſt priſtinæ valetudini, & eidem incolumi ac ſtabili, ad miraculum; paulo vero poſt, eidem plus nimio confidens, quæ vitæ morumque correctionis anſa eſſe debuerat, in eandem relapſus eſt carnis ſpurcitiem: hoc ſibi perſuadens, quod qui ſibi ſemel peccata condonauerat, & altera vice eorundem veniam non negaret ſupplicanti, cum peccatis noſtris miſericordiæ diuinæ manus haudquaquam abbreuietur: at præuertit iactum anchoræ Deus: cum enim egreſſus circa veſperam lupanari impurus ſcortator, ad cœnam aſſidet eiuſdem eccleſiæ & alio præbendato comite, cuius ædes cœnaturus adierat, totus ſolutus in voluptates, Deique obliuioſus, ſagina repletus, exhalanſque crapulam ſubito domus corruit, & cæteris omnibus illæſis, ille ſolus contritus occubuit. (a) Miſerando huic ſe caſui exponunt, quotquot Dei gratiæ, dimiſſis peccatis, reſtituti, ad eadem rurſum patranda ingrati relabuntur.

(a) hecho tortilla.

Nec minori conſideratione dignum illud cuius meminit D. Gregor. & ait contigiſſe in Prouincia Valeriæ cuidam viro nobili, cuius luctuoſum euentum, refert Maximinianus Epiſcopus: Cæſer auguſtanus Sicilianus. Eiuſdē vrbis ciuis, eum Sabbato Sancto, quo tempore ſolemniter Catechumeni ad ſacri baptiſmatis fontem admittebantur eluendi, puellam de fonte ſuſcepiſſet baptizatam, eandem domum ſuam reduxit, vt eam fidei myſteria edoceret, moribuſque inſtrueret Chriſtianis pro patrinorum obligatione; a dæmone commotus, & concupiſcentia ſua carnali illectus, eandem ad ſtuprum ſecum incitauit, & tandem cum ea deliquit impudice. Peracto tam turpi hoc facinore, ilico peccati ſui cognoſcit grauitatem, ſtuprique luget enormitatem. Hoc enim frequens eſt: & exemplo patet in inceſtu Amnonis cum ſorore ſua Thamar. Dei timore perterritus, exhorret vindictam, eumque facti confudit verecundia: hoc enim peccato proprium, eaque tanta, vt ſequenti die Dominicæ Reſurrectionis, hæreret attonitus, ac inops conſilii: hinc enim nec templum adire, nec ſe Deo ſiſtere præſumebat tanti delicti reus. Timebat enim, ne debita vltione, & infami, erratum illud Deus coram omnibus puniret; illinc nec ſe domi continere audebat, ob ignominiæ notam, quam ſibi contraheret, ſi Paſchatis feſto diuinis officiis non intereſſet. Tandem ire proponit, ſed tremulus ac pauidus ſingulis momentis ſibi iuſtum ſupplicium extimeſcens; vt vero nihil eum mali arripuit, finitis officiis alacer templo egreditur: & Dei benignitate factus animoſior, & altero die templum adiit, ſed minus pauidus, & tertio die vix vllo affectus timore. Ita vt peccati ſui tam incurius ſegnius ageret, quaſi qui ſecuritatis haberet teſſeram, timore reiecto, perfricta facie, nimium ſibi tribuens, quod qui tanti ſceleris reum tot diebus pertuliſſet impunitum, & pluribus annis ſuſtineret licet peccatorem. Attamen in ſpem fruſtratam incidit, ac male illi ſucceſſit (a) die quippe ſeptimo, dum minus ſibi timebat de Dei miſericordia, vt credebat ſecurus, immatu-

Lib. 4. Dialog. c. 32.

II. Exemplum.

(a) Saliole mal la cuenta.

ra morte præripitur, vt ne locum tempuſque ei Deus concederet, nomen Ieſu vel ſemel inclamandi.

Formidine maxima tremendo huic ſpectaculo præſentes pœne exanimantur: attamen ſæuior totam inceſſit horror ciuitatem, dum de corpore ſepulti, velut de fornace ardentiſſima flammarum globi cœlo tenus aſcenderent, qui fragore ſuo cunctos conſternebant: ac toto ſpectante populo pluribus diebus perdurarunt inextincti. Tandem igne ſopito, feretrum aperitur,
D.Greg. corpus cernunt omnes conſumptum, exuſtum, in cineres redactum. *Quo videlicet Omnipotens Deus* (inquit D. Gregor.) *oſtendit, quid eius anima in occulto pertulit, cuius etiam corpus ante humanos oculos flamma conſumpſit.* Eia igitur, Chriſtiane, finem impone, peccatum deſere, & ne differas de die in diem, cœleſtis medici perpende monitionem. *Noli amplius peccare, ne tibi deterius aliquid contingat:* & ſi præterita tibi miſericors condonauit, fieri poſſe cuncti conſen-
Ro. 11. 21. tiunt, vt propter tuam impudentiam in te illud Apoſtoli verificetur; *Ne forte nec tibi parcat.*

## §. 19. Ne deterius &c. *Aptè declarat Hieremias deterius illis aliquid contingere, qui ad peccata ſemel à Deo remiſſa, reuertuntur.*

☞ 51
Hi re. 34.
2. Par. c. 36.
FInem concioni tandem imponamus ea hiſtoria quam nobis exarat Vates Hieremias agens de deſtructione Hieruſalem, quam ille tanta deflet amaritudine, quam S. Pagina commemorat. Grauiſſima fuerunt vrbis illius horrendaque crimina, quibus Dei clementiam exagitabant, eius honori iniurii, de quibus dolenter conqueritur Propheta: Cum enim vrbs eſſet a Deo electa, vt in ea Deo cultus gratiſſimus exhiberetur, a ſui exordio ſemper fuit Deo rebellis, fœdifraga, vindictæ prouocatrix, domus exaſperans, de qua ſic ipſe per Prophetam;
Hie. 32. 31 *In furore & indignatione mea facta eſt mihi ciui-*
In cap. 12. Hierem. *tas hæc, a die qua ædificauerunt eam, vſque ad diem iſtam.* Hoc verum eſt, inquit Lirama diebus enim Salomonis, qui ciuitatis ædificationi impoſuit coronidem, eam triplici circumcingens muro, ſemper coluit idola, vt ipſemet Salomon ea coluerit. Nominatim tamen peccato quodam omnibus communi conſpergebantur, quo Deum grauius irritabant: ſcilicet, quod ſeruis & ancillis anno ſeptimo non concederunt
Ex. 21. 2. libertatem, ſicut lex præcipiebat; *Si emeris ſeruum Hebræum, ſex annis ſeruiet tibi, in anno ſeptimo egredietur liber gratis.* Illi vero numquam talem ſeruis emptitiis permittebant libertatem, ſed tranſacto ſeptennio, eos alio ſeptennio, ac continua opprimebant ſeruitute. Acriter ob hoc commouetur *Deus*, quod huic deeſſent mandato cum mandatum eſſe redolens pietatem ac miſericordiam, quam ipſe ſtabilierat, ſimulque cœleſtibus myſteriis venerandum. Ad eos miſit prophetas, ac prædicatores, qui ſceleris iniuſtitiæ populo proponerent grauitatem, atrocioribus ſuppliciis deterrerent, quibus eorum ſcelera vindicaret. Verum enim vero eo vſque aſcendit eorum peruerſitas, vt ſpretis prophetarum terriculamentis, Deique ſuppliciis, prophetas exploderent, eorumque riderent conciones. Ob quæ nefanda crimina, ita ſtimulatur ad vindictam Deus, vt populum ſuum plagis mulctare decernat acerbiſſimis. iniuriæ ſibi illatæ vindices deligens Regem Nabuchodonoſor, Chaldæos ac Babylonios.

Hoc ipſum ait Spiritus S. *Mittebat autem* 2. Par. 36. 16.
*Dominus Deus patrum ſuorum ad illos, per manus nuntiorum ſuorum, de nocte conſurgens, & quotidie commonens, eo quod parceret populo, & habitaculo ſuo at illi ſubſannabant nuntios Dei, & parui pendebant ſermones eius, illudebantque prophetis, donec aſcenderet furor Domini in populum & eſſet nulla curatio.* Et licet eos Dominus punire decreuerat, lento tamen pede progreſſus eſt, benignus pater, qui non eorum ruinam, ſed quærebat morum correctionem. Accedit primum exercitu ſuo ſtipatus numeroſo Rex Nabuchodonoſor, Regem comprehendit Ioachim, qui alio nomine dicebatur Ieconias, cum regno exuit, matremque eius, ac nobiles, magnamque vrbis multitudinem duxit captiuam in Babyloniam, cuius loco in Regem ſubſtituit Sedeciam auunculum, fratrem Ioachim patris ſui, & filium aui ſui Regis Ioſiæ piiſſimi. Abductis illis igitur in captiuitatem, cunctisque Hieruſalem metu ac tremore conſternatis hac occaſione accurrit Propheta Hieremias, prædicat Regi ipſi ac populo, adhortatur, vt plagam aduertant, qua Deus ciuitatem iuſto iudicio damnarat, & cum alios lugerent abductos in captiuitatem, ipſos vero *Deus* miſericors liberos præteriiſſet, vitam ſuam melius inſtituerent, & legis ſibi a Deo præſcriptæ mandatis obedirent, illius irā delinirent, vt de manu proiiceret flagellum quo eos iam cœperat caſtigare. Declamauit hæc Hieremias, tanto ſpiritus ſui feruore, Deique zelo inardeſcens, vt tā ipſe Rex Sedecias, quam reliquus populus a via

ſua

ſua mala conuerterentur, ſeruis ſuis dare ſtatuerent libertatem, vt lex mandat, & de facto eos domibus liberos gratis emiſerunt. Ad maiorem autem juſtificationem, & pleniorem cum Deo ſatisfactionem, vt factum ſuum confirmarent, denuo legis diuinæ jurarunt obſeruantiam, inito ſolemni cum Deo nouo fœdere, quod deinceps mores ſuos corrigerent, legis mandata ad amuſſim obſeruarent. Ad hoc vero vſi ſunt frequentata illa ceremonia, quam Deus ipſe reperit per Hieremiam, vitulum in duas partes medium in templo coram Domino diuiſerunt, interque partes diuiſas tranſierunt:
Hier. 34. 18. *Verba fœderis quibus aſſenſi ſunt in conſpectu meo, vitulum quem conciderunt in duas partes, & tranſierunt inter diuiſiones.* Peruetus erat hic agendi ritus (ait Doctor Angelicus) & erat ait Theodoret.
In c. 34. Hierem. velut ſolemne juramentum quando fœdera ſanciebant, ſeu inibant pactum, vt immobile ab vtroque contrahente perſiſteret, animal quoddam per medium concidendi, interque diuiſas partes tranſeundi: quaſi dicerent: ſic medius, opto, diuidatur, qui fœdus hoc periurus infregerit. Apud Gentiles animal ad cudendum porcus ſumebatur, animal immundum hinc orta phraſis, qua pactum ſtabile declaramus, *Percutere fœdus, à percuſſione animalis fœdi*: de quibus paſſim auctores prophani: quia vero porcus apud Iudæos animal cenſebatur immundum, vitulum in percuſſione fœderis medium concidebant: quinimo & ante datam legem, dum Deus cum Abraham pangit fœdus, vſus eſt hoc ritu; Iuſſit: *Sume mihi vaccam triennem, & capram trimam, & arietem annorum trium, turturem quoque, & columbam, qui tollens vniuerſa hæc, diuiſit ea per medium, & vtraſque partes contra ſe altrinſecus*
Gen. 15. 9 *poſuit.* Ita noster Theodoretus.

Hoc ſolemnē fœdus percuſſit coram Domino Rex Sedecias, cunctuſque populus qui inuentus eſt in Hieruſalem, legem obſeruandi, quam ille præſcripſerat, audita Vatis Hieremiæ concione. *Audierunt ergo omnes Principes & vni-*
52 *uerſus populus, qui inierant pactum, vt dimitteret vnuſquiſque ſeruum ſuum, & vnuſquiſque ancillam ſuam liberos, & vltra non dominarentur eis. Audierunt igitur & dimiſerunt.* His Dei ira conquieuit, & jam omnia videbantur reparata. Veruntamen adeo ſtultum iniere conſilium Rex Principes ac vniuerſus populus, vt vix hoc fecerant, ſeruoſque ſuos domo dimiſerant, ac liberos emanciparant, cum ecce, de illis dicat Sacer Textus: *Conuerſi ſunt deinceps, & retraxerunt ſeruos, & ancillas ſuas, quos dimiſerant liberos, & ſubiugauerunt in famulos & famulas.* Iram ſuam in populum colligit Deus, Prophetam ad ſe citat, cui ipſe. An non aduertis, quid iſti agant? Ad quid manu miſerunt ſeruos ſuos & ancillas ſi illos continuo eſſent retracturi? Ad quid illos libertate donarunt, quos ilico ſuæ denuo ſubiicerent ſeruituti? Ad quid mecum te præſente, ritu illo tam celebri, in domo mea fœdus percuſſerunt, ſi illud paulo poſt voluerint reſcindere, & promiſſis minimè ſtare juramento ſtabilitis? An non hoc in mei cedit contemptum? An hoc non eſt me ludum facere, naſoque ſuſ- Hier. 34. 15.
penſum ludificari? *Conuerſi eſtis vos hodie, & feciſtis quod rectum eſt in oculis meis, vt prædicaretis libertatem vnuſquiſque ad amicum ſuum, & iniſtis pactum in conſpectu meo, in domo, in qua inuocatū eſt nomen meum ſuper eam & reuerſi eſtis & commaculaſtis nomen meum, & reduxiſtis vnuſquiſque ſeruum ſuum, & vnuſquiſque ancillam ſuam, quam dimiſeratis, vt eſſent liberi &c. Propterea hæc dicit Dominus: Sedeciam Regem Iuda, & Principes eius dabo in manus inimicorum ſuorum, & in manus quærentium animas eorum, & in manus exercituum Regis Babylonis, qui receſſerunt à vobis. Ecce ego præcipio dicit Dominus, & reducam eos in ciuitatem hanc, & prœliabuntur aduerſus eam, & capient eam, & incendent igni: & ciuitates Iuda dabo in ſolitudinem, eo quod non ſit habitator.* Viuo ego dicit Dominus, erunt illis poſteriora peiora prioribus. Manu miſerunt illi ſeruos ſuos, quos iterum ſeuerius ſtrictiuſque ſubiugarunt; ita ego quoque qui remiſi Nabuchodonoſor, eiuſque exercitum, ne ciuitatem funditus demoliretur, cum maiori manu ac arrogantia contra ipſos reducam, ita vt tam ipſos, quàm ciuitatem radicitus euertat, deuaſtet & redigat in ſolitudinem. Sic ſe res habuit: reuerſus eſt exercitus Babylonicus, comprehendit Nabuchodonoſor Regem Sedeciam, cuius filios in parentis conſpectu trucidauit, ad hoc enim tantum eos eo vſque ſuperſtites reliquerat, quos poſtmodum eduxit, ac Regi oculos eruit, miſitque catenis vinctum in Babylonem, omnes Principes, cunctumque populum ſubiecit ſeruituti, Dei templum, incendit, vrbem vero ita perdidit, exterminauit, deuaſtauit, vt eam obortis lachrymis, ſuſpiriis ac gemitibus deplorat Hieremias in ſuis Threnis, vbi ſtatim in exordio cauſam allegat tranſmigrationis Regis ac populi in Babylonem: oppreſſionem ſeruorū, eis præceptam à Deo non datam libertatē, nec euoluto manu miſſionē ſeptennio ſed quod duriori eos jugo obruiſſent: & hunc credo legitimum

(Thre. 1. 3.) ſenſum horum verborum: *Migrauit Iudas propter afflictionem, & multitudinem ſeruitutis.* Mirum videtur, Deum requirere, vt ſitis ſeruis a famulis veſtris miſericordes Hoc pertulit ingrata Deo, ſeruis inhumana ciuitas, fuerunt enim illi poſteriora peiora prioribus; caue ne & tibi idem contingat; quoties te Deus admonuit, quoties tibi per prædicatores ſuos dira minatus eſt ſupplicia? quantum eorum numerum miſit ad te, deprecans, exhortans, præcipiens, vt nuntium remitteres ſceleribus? Aliquoties leui te plaga corripuit miſericors pater qua percuſſus, & contritus, ad domum eius veniſti, in cuius conſpectu, pedibus Confeſſarii prouolutus, vitæ emendationem juraſti, & fœdus percuſſiſti, morum mutationis: inhoneſtæ conuerſationi valedixiſti, manu mittere vſuras decreuiſti, ad frugem ſtatuiſti redire meliorem. Porrò vix manum tot promiſſis admouiſti; quando & eadem crimina, quæ domo tua deteſtatus expuleras, manuque dimiſeras, denuo repetiſti, & maiori ſtudio, ac perſeuerandi animo fœdifragus reduxiſti.

Idola ſibi fieri petierunt ab Aaron filii Iſrael aurum ſubminiſtrarunt, vnde conflarentur, & illa vt Deos adorauerunt. O quam excanduit Deus! Deſcendebat Moyſes de monte, duabus legis tabulis exhilaratus, cui Deus: *Vade, deſcende peccauit populus tuus quem eduxiſti de terra Ægypti, recefferunt cito de via quam oſtendiſti eis, feceruntque ſibi vitulum conflatilem, & adorauerunt.* (Exod. 32. 7.) Conſiderat Caietan, verba hæc fuiſſe ironicè dicta. q.d. Quàm gaudio perfuſus deſcendis, credens, quod tuum anheli præſtolentur aduentum. Vade, vade, & videbis. Scire te volo, peccatum grande commiſſum à populo, quod ſtatim videbis, idola etenim ſibi erexerunt, & vt Deos ſuos coluerunt. *Populus tuus.* Quem tanto amore proſequeris. Notat D. Hieron. Dei modum loquendi: quando enim populus grauiter, deliquerat eum non ſuum, ſed tuum dicit: ita contigit cum Daniele, qui dixerat: *Eduxiſti populum tuum de terra Ægypti.* (Deinde) *Nomen tuum inuocatum eſt ſuper ciuitatem & populum tuum.* (D. Hie in c. 9. Dan. v. 19. Tom. 4.) Cui Angelus reſpondit: quaſi dicens: *Neque populus Dei eſt, ſed populus tuus, nec vrbs ſancta Dei, ſed ſancta viuentis ſibi.* Admiramini hoc peccatum. Noluit Deus hoc deſerere impunitum, proinde conuerſus ad Moyſen præuenit eum, ne juſtum eius in populum furorem remoraretur: *Dimitte me, vt iraſcatur furor meus contra eos.* Ne mihi ſis obſtaculo. Orat Moyſes Deum, & rationibus efficacibus, ac argumentis de Diuinæ Maieſtatis honore ac nomine propoſitis, ſupplicat, illis hoc peccatum ignoſcat. Euicit Moyſes Deum, parcit populo, dimittit. In idololatriam relabitur populus, deſcendit Moyſes de monte, quo aſcenderat cum Deo in oratione locuturus & nouam Deo irrogatam videns iniuriam, clade magna ſæuit in populum. Attamen paterna ſua ſolicitudine permotus reaſcendit montem cum Deo collocuturus, & pro commiſſo ſcelere veniam rogaturus. Permanſit ibidem indefeſſus aliis quoque quadraginta diebus ac noctibus. *Facto autem altero die locutus eſt Moyſes ad populum. Peccaſtis peccatum maximum, aſcendam ad Dominum, ſi quomodo potero eum deprecari pro ſcelere veſtro.* Dubius hæreo, num me ſit admiſſurus, vt pro vobis deprecer vereor, ne aures occludat, ne me repellat deprecantem. Aſcendit, orat: *Obſecro Domine, peccauit populus iſte peccatum maximum.* Et tam acriter vtiit negotium, vt illa tam intellectu difficilia verba protulerit: *Aut dimitte et hanc noxam, aut ſi non facis, dele me de libro tuo, quem ſcripſiſti.* D. Thom. ſic ait: *Sciendum quod antiquitus apud Romanos Senatores, qui ad magnas aſſumebantur dignitates, deſcribebantur in matricula* (id eſt Elencho propriorum nominum) *quos primus Pompilius in tabulis aereis ſcripſit, & dicebantur Patres conſcripti, & qui ibi ſcribebantur, non de facili à memoria labebantur. In ſimili omnes Sancti prædeſtinati eliguntur à Deo ad magnum ſcilicet ad vitam æternam, & hæc ordinatio eſt prædeſtinatio. Conſcripio huius ordinationis dicitur liber vitæ* (D. Th. Ad Phi. lect. 4.) Mouent SS. Doctores difficultatem ad illa verba Moyſi: ſciebat enim Moyſes, & certus erat, quod eum Deus de libro ſuo non expungeret. Quomodo igitur ait: *Dele me de libro tuo?* Hoc nequaquam ait Deus, non hoc tibi eueniet: *Qui peccauerit mihi, delebo de libro meo.* Modò bene, illis hoc peccatum remitto: *Ego autem in die vltionis viſitabo, & hoc peccatum eorum.* Quid per hoc vult innuere? Opinantur aliqui, quod voluerit indicare, his non obſtantibus, eos ſeuerius puniam. Et qua vindicta? Seu peſte, ſeu Angelo percutiente, plurimos eorum interemit, & quid hoc eſt quod addit: *Percuſſit ergo Dominus populum pro reatu vituli, quem fecerat Aaron.* Huic concorditer exponunt alii, quod dicitur, quod Moyſes gladio Leuitarum occiderit viginti tria millia: *Cecideruntque in die illa quaſi viginti tria millia hominum.* (Epi. 39 ad Romul.) Multi textus, juxta Caietan. Lipon. Tertullian. D. Ambroſ. D. Iſidor. Raban. & Philonem, ſentiunt à Leuitis interempta tria millia à Deo vero viginti millia.

millia. Quocirca non dicit: *Leuitæ interfecerunt tria millia, ſed, ceciderunt illa die tria millia.* Minor enim fuit Moyſi & Leuitarum vindicta multoque blandior. Et quando ſuauem imponit Confeſſarius pœnitentiam, ſuperaddit Deus & alias ſæuiores: non enim conuenit, vt non ſatisfacias pro peccati grauitate. Credo autem quod voluerit dicere. Ego illis modo delictum illud ignoſco, ſi vero relabantur, dum eos puniero, pro omnibus iunctim luent grauiſſimas pœnas: iniquitatum enim eorum recordabor. Quid *Domine*, an illis hoc non remiſſum peccatum? remiſſum eſt: at in idem relapſus, exigit ſeueriorem Dei vindictam, ex præterito enim dimiſſo augetur delicti præſentis enormitas. Quid putas de hoc ſentiat Deus, niſi quod illum prudens aſperneris, & floccipendas? Et quid illi faciendum, niſi te vt diſperdat, vel morte ſubitanea, vel apoplexia, ruina domus, tegula deſuper decidente, & exitu miſerando hinc rapiaris æternum periturus?

Lib. de exhort. ad Martyres. cap. 7 — Proponitur vobis Hiſtoria Pharaonis, quam elucidat Liran. & ante illum D. Cyprian. Voluit hoc Deus, vt populum ſuum ſolueret ſeruitute, ac liberum dimitteret: Multo hoc conſtitit, tandem liberum abire conſenſit, Deo tam obediens, ac ſubditus, vt ipſe populum rogaret inſtanterque ſuaderet diſceſſum: *Lætata eſt Ægyptus in profectione eorum.* Egrediuntur, & ſtatuit Deus refractarium punire Pharaonem. Præcepit Moyſi. *In conſpectu eius caſtra ponetis ſuper mare.* Ita vt populus inter duorum montium concaua graderetur. Innotuit hoc Pharaoni. O quam ſibi proficuos fuiſſe cenſet Pharao Iſraelitas, cum de eorum receſſu ita condoluerit. Proponit illos bello laceſſere, & ad priſtinam reuocare ſeruitutem. Permittit Deus, vt nauim conſcendat, totuſque exercitus, præſidiariis, piraticis, militaribus imponatur, quibus impugnet Iſraelitas, & inter maris vndas comprehendat excedentes. Credidit, quod incolumis euaderet ſi Deus vt prius illum puniret: O quantos decipit illa Samſonis: *Egrediar ſicut ante feci.* Nec aduertunt inſipientes, quod illis modo Deus non ſit auxiliaturus, ſicut prius ſed derelicturus ad tantæ rebellionis pœnã, perpetuum damnaturus. O Chriſtiane, qui hoc ſacro quadrageſimæ tempore tuorum egiſti pœnitentiam peccatorum, hoc memoria retine, quod tibi cœleſtis medicus in ſalutis tuæ præſcribit conſeruationem: *Ecce ſanus factus es, iam amplius noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* Hoc enim tibi certo ſtabit ſalus, vitam duces incolumem, animæ tuæ merita cumulabis gratiarum in hoc ſæculo, & cœleſtium in futuro diuitiarum. Amen.

Pſ. 104 38.
Exod. 14.2.
Iudi 16 16,20.

# SVMMARVM
## HOMILIÆ VNDECIMÆ SEQVENTIS.

Totum hoc contrahitur Euangelium ad id, quod Chriſtus oculis noſtris gloriæ, quam expectamus, quandam obiiciat imaginem. Hac de cauſa quinque proponuntur articuli. Primus: expedire, vt prædicatores ſæpius de illa inſtituant concionem, hodie, & cras, & aliis diebus, nobis enim vtilis eſt eiuſdem conſideratio. *a* Cum ſimus eiuſdem gloriæ candidati. *b* Secundus: vt hoc ſpectaculo perfruamur, neceſſario nobis in montem ſeorſum ſecedendum. *c* Tertius: qua ratione Chriſtus in oratione fuerit transfiguratus, indicia gloriæ demonſtrans: *d* Quartus: quo medio huius gloriæ radium intelligamus, ex eo, quo illam Iſaias explicauit. *e* Quintus: quomodo, eo quod illam non conſideres, eandem non deſideres. *f*

a §.1.2.3.
b §.4.
c §.5.
d §.6.7.8.9.10.
e §.11.12.13.14.15.16.17.
f §.18.19.20.